ALBERICI GENTILIS

I. C. professoris regij

DE IVRE BELLI

Commentationes tres.

EE 19 5

fol 175

LONDINI

Apud Iohannem Wolfium, expensis

I. C. M. 1589.

TRINITY COLLEGE
DUBLIN

Typographus Lectori.

ECCE tertiam de Iure belli commentationem, quam tibi præteritis nundinis ſpopondimus, vnà cum alijs duabus nouiter excuſis. Ac Deo iuuante, libros de legationibus eiuſdem auctoris denuo excudendos decreuimus, ſed multo quam antea auctiores & cultiores. Et commentarium ad titulum Digeſtorum de verborum ſignificatione, atque diu expectatum de Conditionibus opus. Interim, amice Lector, his fruere & vale. Calendas Oct. M.D.LXXXIX.

ROB. DEVORAXIO ILL^mo. COMITI ESSEXIO.

Albericus Gentilis S.P.

Cogitaui equidem pluries, illustrissime ESSEXI, quomodo eam, quæ erga te est animi mei propẽsio, non nudis verbis, sed facto aliquo contestarer. verùm præter alia impedimẽta obiecit se semper munus, quod in academia gero, quódque non in his litteris versatur, quarum ego donum tibi adornare desideraui. cunctatus itaq; sum: neque istam modò commentationem deferrem, quæ habet sanè argumentum, quod cupio, sed cum iustæ tractationis opus maluissem, comitatámque duabus reliquis, moram adhuc traxissem longiorem, nisi crederem tandem satius, vt præmittam id, quicquid est, quàm vt diutiùs nihil agendo commodiora mihi tempora, fortean frustra, expectem. Si præterea munera & minuta hæc non susciperentur libenter, vix eius, cui offeruntur, constare de humanitate posset. Et te verò cum generis splendore illustrissimum, animo excelso præstantissimum, virtute militari & ciuili ornatissimum, tum etiam humanitate laudatissimũ nouimus. Suscipe igitur in præsentia qualem voluntatis meæ qualem significationem: nam offeretur mox per-

perfectum, quod meditor, opus: in quo partem inuis, vt vides, nobiliſsimam, aliis intractatam, & pleriſque omnibus minus apertam exſequor : quæque te digniſsima eſt, fortiſsime comes. qui fortitudinem tuam ſcilicet Anglici equitatus dux non his modò, Belgíſque ſociis, ſed & Hiſpanis hoſtibus, in quorum conferta agmina peruadebas belli fulmen (& pænè puer!) æternùm probaſti. At facinora pulcherrima hæc tua, quæque edes in poſterum maxima, facient alii clariſsima, & in perpetua luce collocabunt. a me id capies in præſentia, aut etiã patere, vt quæ maximus poetarum de ſummo milite cecinit, ego de te, cui conueniunt planè, aliis canam ignotis.

Se'l vedi fulminar ne l'arme auuolto
Marte lo ſtimi, Amor, ſe ſcopre il volto.

Vale & ſalue. Oxon. III. Nonas Octobris, M. D. LXXXVIII.

ALBERICI GENTILIS

I. C. professoris regij

De iure belli cõmentatio

PRIMA.

BEllum est contentio armata, publica, iusta. & ex eo dicitur, quod inter duas partes æquales devictoria contenditur. & duellum propterea a principio nuncupabatur: & qui nunc hostes olim perduelles dicebantur; & ipsum quoq; bellum perduellum nominatum est. quæ apud Varronem legeris, Ciceronem, Festum, alios, & Caium nostrum titulo Digestorum de verborum significatione capite CCXXXIV. Hostis appellatione peregrinus significabatur, quia æquo iure is esset cum populo Romano. est enim hostire æquare. vnde redhostire referre gratiam; hostimentum beneficij pensatio; & hostorium lignum, quo modius æquatur. vt apud Nonium,

Definitio belli & etymologia.

Hostis.

Gellium, Festum, Priscianum libro sexto habetur. Itaque & hostis mox, quo cum gerimus bellum, quia is nobis æqualis: quemadmodum & de duelli etymologia retulimus. Bellum est contentio, quid n. in bello nisi contenditur? Sed non omnis contentio bellum: at armata. nam animis, nõ armis bellũ gerere, ignauia est. quod Nazarius in panegyrico dixit Constantino. verbis gerere, ineptum est, eaq; Liuio notati Athenienses libro XXXI. At neq; omnis armata bellum nam rixa, pugna priuatorum armata bellum fuerit, verùm publicaque sit contentio oportet, quod ait Pomponius capite CXVIII. tituli Digestorum de verborum significatione, & Vlpianus capite XXIV. tituli de captiuis. Atque ea ratio est, quoniam ex necessitate introductum bellum asserit Iustinianus titulo secundo libri primi Institutionum. quæ est, quia inter summos principes, populosue liberos iudicium ciuile, & inermis disceptatio esse non potest, qui iudicem scilicet non habent, & supe-

Bellum est contentio.

Bellum armis geri.

Bellum gerunt soli principes summi.

Bellum cur introductum.

ſuperiorem: vnde meritoque ſummi ſunt, & publicorum appellationem merentur ſoli: cum minores omnes loco priuatorum cenſeantur. vt docuit rectè Caius capite XVI. eiuſdem tituli de verborum ſignificatione. Et hinc fit, vt bellum non ſit, vbi ea ceſſat neceſsitas ad Martem iudicem recurrendi. ceſſat autem ſemper ſi principes inferiores prælientur, aut populi ſubditi. immo crimen hi læſæ maieſtatis patrant, ſi bellum gerunt. vt Marcianus ſcribit c. 111. tit. D. ad Leg. Iu. ma. Ergo rectè neque cum piratis, neque cum latrunculis bellum, vt Pomponius & Vlpianus tradiderunt: neque. n. delicto iſti ſe iuriſditioni ſubduxerunt. Sed iſti neque alia ratione ius belli habent, quia ius belli a gentium iure, & tales non fruuntur illo iure, cui hoſtes ſunt. vt notaui libro ſecundo de legationibus capite octauo. & probè obſeruauit Helidorus libro primo Æthiopicarum, bellum pactis nunquam finitum cum prædonibus eſſe, ſed aut ſuperſtites victores, aut victos mori, oportuiſſe.

Bellum latrones non gerunt.

Quibus duobus argumentis, non quòd pluribus Alexander nauibus, pirata ille, apud Ciceronem libro tertio de republica, myoparone vno maria infestaret, refutatur, illud quidem videndum est, ne ex latrone & latrocinio in ducem & bellum euadatur id quod de Aristonico Iustinus libro XXXV. & de Viriato Frontinus ait libro II. capite V. quodque fiet non tam iusti exercitus auctu, & vrbium interceptu, vt hi credere scriptores videntur; quàm publicæ causæ adeptione. ita enim Viriatus cum a priuato latrocinio ad patriæ causam tuendam se transtulisset; & Aristonicus regni causam adferere mox cum valuerit, duces facti tunc, & bellum egisse dicuntur. alioqui bellum cum Spartaco fuisset, cum piratis, contra quos magnus Pompeius profectus est: nec fuit tamen: & nomen tantùm communicatum, non ius nominis, de quo quærimus, fuit. At de verbo armata & de hoc publica non ambigetur. de verbo iusta non vna dubita-

Bellum qui ex latrocinio.

Iustitia in bello.

bitatio, ſed plures, & graues. bellum etenim quî iuſtitiam habere poteſt, quod a belluis dictum volunt, & κατ' αντίφρασιν quaſi minimè bellum? ſi diſsenſionem eſse non ſecundùm rationem hominis ſcribit Lactantius libro ſexto, capite vndecimo? & capite ſexto, quicquid de officijs ad rem militarem pertinentibus diſputatur, id neque ad iuſtitiam, neque ad veram virtutem adcommodari, ſed ad vitam hanc, & ciuilem morem aptatam omnem orationem. & capite decimoctauo, iuſto militare non licere. cum id generis alijs. Contra verò, ſi iuſtitia in bello non eſt, quî a iure ortum? bellum quid erit niſi latrocinium, vt de regnis, iuſtitia ſublata, notat Auguſtinus? ſed pars iſta, quod in bello iuſtitia ſit, lata diſputatione confirmata eſt in decretorum libris, & Ariſtoteli, alijſque auctoribus adſeritur, & conſenſui omnium & temporum, & populorum. Igitur pro conſtituto id ſiet, & illud nos diſpiciamus, quomodo

tandem iuſtitia in bello inſit. iuſtitia quomodo inſit ab vtraque belligerantiũ parte. nam contentionem diximus iuſtam: neque eſt contentio niſi duarum partium: itaque & vtrinque iuſta ſit oportet; aut iuſtitiæ qualitas adiecta plenè non eſt verbo contentionis. Et quidem ſcire illud primùm decet, bellum non eſſe, niſi quà iuſtitia intercedere poteſt: in reliquo autem contentionis ſupereſſe tanquam reliquias vitij & immanitatis. non aliter ſcilicet atque in materia non prorſus tractabili manere vitia ſolent, non peccato regulæ, ſed ipſius materiæ: ita in contentione, quæ redigi prorſus ad veram virtutem nequit, errata maneant non culpa regulæ, quæ eſt bellum, ſed ſua ipſius. Contentioni ſi norma accedat, contentio bellum fit. quà accedit, bellum eſt. manet contentio in reliquo, eaque ſine iuſtitia, ſine virtute vera. Accedit porrò (aut bellum non eſt) ad facientes quod attinet: nam ſummi principes eſſe debent, vt diximus. Accedit ad formam, quia indici bellum,

Bellum vtrinque iuſtum.

lum, tractariq́ue iustè oportet, vt altera commentatione dicemus. Accedit & ad finem, quoniam victores iustè agere in victos tenentur: & de ista iustitia nobis vltima commentatio erit. Accedere & ad materiam, occasionesq́ue, & causas sentiemus in hunc modū disputantes. Causę belli suscipiendi triplicis speciei sunt. diuinæ, naturales, humanę. Diuinæ sunt, quas ad Deum, tamquam iubentem bellum, referre possumus. vt cum Iudæi ad Deum retulerunt causam moti per eos belli in Cananeos, cæterosque. Atque de causa huiusmodi dubitari nec potest, nec debet, quin iusta sit: aut Dei iussum in controuersiam reuocabimus. iustè Iudæi. Sed an iustè, resistendo, belligerabant hostes? ad Deum quidem quod spectat non iustè, sed iustè tamē quantum ad homines pertinebat, quia nec senserunt illi mandatum domini, nec iniustè se tutabantur, & regionem annos quingentos possessam. sic & iustè Turcæ, qui prophetę sui (vt aiunt) iussu aduersæ religionis homines bello petunt

Causæ belli suscipiendi.

Diuina causa belli suscipiendi.

Bellum vtrinque iustum.

Bellum prō religione.

petũt: nam ex ſua ſecta agunt: itaque nec reprehendendi. vt Galenus doctè notat ad definitiones ſecundùm ſectam definientis ſcriptas. Sic & Pontificij quod in nos mouent, ex ipſorum ſecta iuſtum. neque nos illis iudices ſumus, at illorum & noſtrum iudex Deus, cui ſtamus, & cadimus cuncti. Et iuſtum bellum, quo eos nos propulſamus iure præterea gentium & defenſionis. iuſtum etiam a nobis foret & offenſionis, non quia hoc lex velit noſtra in cauſſa hac religionis, ſed quia illi ſe nobis hoſtes eſſe probarunt: hoc vt iure hoſtium offendere eos poſsimus iuſtè. Dixerit quis, & in priuatos Pontificios ſtringi gladium poſſe, quoniam pontificiorum gladius in priuatos quoſque noſtrum diſtringitur. ſed non eſt par ratio. & quod delirant reges, non iuſtè plectuntur Achiui. En bellum vtrinque iuſtum. ex parte altera verè iuſtum: ex altera pro ſectæ ratione: quam ſcilicet, quia reprehendere non licet, pro iuſta cauſa omnino haberi decet. Verùm dicetur bellũ vtrinque iuſtum & propter

ratio-

rationes alias, quæ vtrinque probabiles sint. nec est enim bellum nisi lis armata: lis autem inermis vtrinque iusta pluries, quando victum rarò condemnari ad expensas & sumptus litis videmus; & scimus non condemnari, nisi nullam, aut non iustam habuerit causſam litigandi: adeoque iustam plerunque esse patet, cum rarissimè ea sequatur damnatio. Adfer huc & de Cicerone illud libri secundi de diuinatione, quod in iudicialibus causis alia est coniectura accusatoris, alia defensoris, & tamen vtrinque credibilis. Adfer & notata a nostris ad caput tertium tituli Digestorum de rebus dubijs, fieri rectè posse, vt eiusdem legis plures sint, & quidem diuersæ probæ interpretationes: non quòd vno plus verum esse possit, vt ait Cicero libro secundo de oratore; vnaque plures & diuersæ legislatoris sententiæ: sed quia, quæ hæc sit ipsius legis latoris, ignoratur, & singulæ esse potuerunt. Age, dic exemplum. ambiguum est, si regna licet testamento

ad extraneos a legitimis transferre. iuſtè igitur Ariſtonicus bellum ſuſcipit, vt ius legitimum tueatur: & iuſtè Romani, vt tueantur teſtamentarium. quando non eſt expedita quæſtio: & nulla ſupereſt alia ratio expediendi. Et hæc tandem certiſsima eſt iuris noſtri ſententia, vt bellum vtrinque iuſtum ſit, quando vtrinque iura tributa belli. vtrinque capta fiunt capientium, & captiui vtrinque ſerui. nam ridiculi ſunt, qui inductũ hoc de ſeruis aiunt, ne aliàs occiderentur, neúe ipſorum quæ bona in ciuitate ſunt cum ipſis ſimul dominis acquirerentur. hæc etenim & retineri in ciuitate poterant detentis illis ab hoſtibus æque ac retinentur detentorum a latronibus; eorum etiam, qui in exilio agunt. & ſicut a latronibus detenti nõ occiduntur, minus certè occiderentur, qui ab hoſtibus detinerentur, nam hoſtibus curæ eſſe non debet, quæ noſtra iura ſint de captiuis ipſorum, ſi ſua ipſorum iura ſunt ſatis, quæ ſcilicet vna ſequi eos oportet. idem & de reliquis rebus captis. Atque

ita

ita Fulgotij, & Alciati confirmata ſententia eſt de bello vtrinque iuſto contra reliquos interpretes omnes. Et omnes ſanè cęcutiunt, qui fines artium non tenentes, miſcent omnes ſcilicet: atque in iſta quæſtione iuſtum miſerè conſiderare ſolent, non quemadmodum iuriſconſulti debent, prout ciuitati aptum; ſed vt philoſophi ſolent, prout eſt. Nunc ad naturales belli cauſſas progrediamur. Et bellum a natura videtur, ſi a primis elementis ad nos vſque deſcendere conſiderando placet. ecce etenim nobis bellum elementorum, quo mori mundum indies & naſci dicitur, quodque vel pium appellare Lucretius poteſt. ecce rerum aliquot anima omni expertium, ecce animantium omnium multiplex antipathia: vnde & de rerum diſſenſione tractatus nobiliſsimus. ecce Græcos a barbaris alienos, Hebræos a mortalibus reliquis. audite ecce Philippum Macedoniæ regem, qui ita Liuij libro XXXI loquitur, Cum barbaris æternum omnibus Græcis bellum eſt, eritque:

Naturalis cauſſa belli ſuſcipiendi.

natura enim, quæ perpetua est, non mutabilibus in diem caussis, hostes sunt. legite libro quinto antiquitatum, capite decimotertio Iosephum, & vel Palestinos hostes Iudæis naturales accipietis. Sed hæc ego vera censeo, non quòd a natura quidquam huiusmodi sit, qua immo cognati omnes sumus: at quia congenitis quibusdam affectibus, vt vir politus a barbaro, ita a barbaris Græci dissidebant. vel vitium hoc humani generis, quo dissensiones euenerint, quando inquies atque indomitum semper in certamine liberatis, aut gloriæ, aut dominationis agit. vt Sallustius primo scripsit historiarum. Et itaque ea Græcorum superba partitio, Platoni etiam damnata in Politico, & Straboni in fi. lib. 1. nec prorsus antiqua, vt docet Thucidides lib. 1. sed & Hebræorum alijs nõ probata: quod legere est apud Dionem lib. XXXVII. certè nec nobis probanda in præsenti argumento. Si verè essent caussæ naturales, omnino iustum ex ipsis bellum dicemus: sicuti iustissimũ dici-

dicimus,quod eſt ad defenſionem, quoniam hæc a natura eſt ſcilicet. ſed non ſunt huiuſmodi cauſſæ naturales. itaque nec iuſtum ex his bellum, nec iuſtè ex his Hiſpani bello miſeros Indos petierunt; nec barbaros Græci, aut contra. niſi quia & Græcis, & barbaris tum receptum præterea, vt hoſtes eſſent. quæ alia cauſſa eſt: nec tamen longè a natura, vt diximus: & quia ex educatione perpetua eſt, quæ altera natura eſt. Atque de naturalibus cauſsis nunc ſatis. Humanæ cauſſæ ſunt, quæ ab occaſionibus manant. atque pars earum ingens, laboris multi, iudicijque. Facio igitur hîc diuiſionem bellorum: & quędã ad offendendum, quędam ad defendendũ dico. ſunt autem iſta naturę ordine poſteriora, ſed quia explicatu faciliora, et potiora in eadẽ natura, ipſa a me prius exponẽtur. Ergo defenſio aut neceſſaria, aut vtilis, aut honeſta eſt. neceſſaria, quando in pręſentia bello petimur. vtilis, quãdo verẽdũ, ne petamur. honeſta, quãdo alios tuemur. Atq; in defẽſione neceſſaria nõ mora eſt.

Humanæ cauſſæ belli ſuſcipiendi.

Bellum aut offenſiuum, aut defenſiuum.

Defenſio triplex.

Neceſſaria defenſio.

eſt, naturæ, n. ius eſt: quod aiunt omnes ad caput tertium tituli primi Digeſtorum: & docuit Caius capite quarto ad legem Aquiliam: præclarè etiam Cicero libro ſecundo de inuentione: qui aitque, non opinione nobis, ſed innata quadam vi iſtud eſſe conſtitutum, & perſuaſum. Ammianus etiam libro vigeſimo tertio, Lex, inquit, vna, & perpetua, ſalutem omni ratione defendere. Res etiam vt noſtras defendamus neceſſaria defenſio: vt noſtrates omnes volunt. Et hæc defenſionis cauſſa iuſta, vel ſi bello petiti bellum promeriti ipſi eſſent. ijſdem doctoribus. & proba ea mihi ratio, quia ius belli non finitur conſecutione expetitorum, aſt pro victoris arbitrio poni ſolet. quod iuſtè non ſubditus refugere poteſt. Iuſtum bellum, quibus neceſſarium: & pia arma, quibus nulla niſi in armis relinquitur ſpes. ait ille apud Liuium. Neque de iſta defenſione plura.

Vtilis defenſio.

Vtilis defenſio & ipſa iuſta. neque. n. expectare debemus præſentem vim, ſi futuræ occurrimus tutius. quod multis definitionibus

tionibus iuris ciuilis probatur: & pluſquam manifeſtum eſt. Tantùm videre oportet, quando is adſit timor, quem iuſtum exiſtimare debeamus. & iuſtus quidem metus definitur a Labeone timor maioris malitatis, quique meritò in homine conſtantiſsimo cadat; vt Caius cenſuit; & vtrunque legitur capite quinto & ſexto tituli II. Digeſtorum libri quarti. Tamen ego in magna hac imperiorum cauſſa definitionibus iſtis priuatorum negotiorum facilè non acquieſco. nam ſi quid priuatus in priuatum admiſerit, reſtitui id mox a magiſtratus imperio poteſt. & res non conferenda fuerit cum republica. at quod a principe in principem patratum erit, quis reſtituet? et in hoc ipſo timoris argumento non rectè quis ratiocinabitur ab illis metus definitionibus: quoniam non illæ vt doceant, quid ex metu futuræ malitatis facere nos oporteat, vt malitatem auertamus: ſed quid, ſi metum paſsi ſumus, & aliquid propterea in noſtrum detrimentum egimus, iuris

Iuſtus timor belli.

ſupereſt

ſupereſt nobis aduersùs metum illatum. Nobis definitiones ſumendæ potiùs de titulo ſecundo ſunt libri trigeſimi noni. adeoque curandum dicere debemus, vt cautum ſit aduersùs damnum, quod fieri etiam poteſt, ne accidat: & id dicere, etiam ſi non ita magna, aut euidens cauſsa timendi ſit. illud quidem admitto quod de maiori malitate retulimus. nam propter timorem parui mali vix eſt, vt maximum hoc malum, quod eſt bellum, probetur. exemplum, vt ſi princeps principi bellum inferre cogitaret, quòd opidulum paruulum alter, & nullius ad cetera momenti prærepturus ipſi eſſet. Ceterùm videamus apertiùs, qui timor iuſtus. atque cum non vna probabilis timendi cauſſa, neque vnius generis ſit, nec definiri quicquam generaliter poteſt: ſed ſpecies quædam proponendæ ſunt potiùs. Principibus igitur potentibus & ambitioſiſsimis rectè obuiam imus, quia nullis contenti finibus, & noſtros tandem aliquando inuadent, Alexandro regem ſe terrarum omnium

Potentiæ iuſtè occurritur.

nium adſerenti, vt ſcribit Iuſtinus libro XII. nec intra minas conſiſtenti, rectè itum obuiam fuiſſet ab omnibus. Romanis imperium orbis affectantibus palam obſiſtendum communiter prudentiſsimi reges Perſeus, & Mitridates probè clamitabant. & Hiſpanis, hodie neſcio quid huiuſmodi meditantibus, age, age, obſiſte principum fortiſsima; nam obſiſtis iuſtiſsimè. quando & vicina tibi regio eſt, quæ bello ardet: adeoque fumum ardentis ilic ignis tuis in regnis proſpicere, & ſentire potes: & fumo flammam proximã ſemper non ignoras: tuamque agi rem, dum proximus paries ardet: nec ſi quas ignis ædes cœpit proximas defenſu haud facilè eſſe, quin & proximæ comburantur. Vicini iuuandi ſunt: quia hæc noſtrũ ipſorum defenſio. defenſio, qua cauemus, ne noceatur nobis mox, *etiam ne noceri poſsit, iſta videlicet ratio imperiorum eſt*: vt probè quiſquis ille Dionyſij libro ſexto antiquitatum. Quod ſi preterea cari nobis eſſe vicini debẽt, magis adhuc enitendũ in eorũ

Belgæ iuſtè iuuantur ab Anglis: nam vicini.

Cari iuuandi.

tutelam, non dubitabitur. & ius hoc ad ſcribit naturæ Cicero. Quod ſi ſocij præterea ſint, & fœderati, iam ipſi nos lædimur, ſi iſti læduntur: vt rectè notatur Liuio lib. XXXI. Atque hæc pro vtili defenſione. Honeſta verò defenſio eſt, quæ citra metum periculi noſtri, tantùmque in gratiam aliorum ſuſcipitur. quæ quidem fundamento illi innititur, quòd cognationem inter homines natura conſtituerit: vt ait capite tertio tituli primi Digeſtorum Florentinus iuriſconſultus: quòdque gentium ius ſitum eſt in generis humani ſocietate, & ciuile propterea appellatur etiam Ciceroni libro tertio de finibus: adeoque cognationis & ſocietatis iſtius vinculo nullis non obſtricti hominibus ſumus, & pro nullis non ſolliciti eſſe debemus. atque hinc Lactantius libro ſexto capite ſexto, Verum eſt Ciceronis illud: Qui ciuium rationem dicunt habendam, externorum negant, dirimunt hi communionem, & generis humani ſocietatem. Et hinc Plato libro nono de legibus puniendum cenſet

Socij iuuandi.

Honeſta defenſio.

Omnes natura cognati.

censet eum, qui vim alteri illatam non propulsat. Et hinc nostrates rectè diuini & humani iuris defensionem istam adfirmant. atque quod Plato, nostriq́ue in priuatis ciuibus aiunt, id nos ad principes, populosque ducimus probè; quoniam quæ ratio priuati ciuis in priuata ciuitate est, eadem, aut maior in publica & vniuersa hac orbis ciuitate publici ciuis, hoc est principis, & populi principis erit. Verùm certa hęc omnia. sed quęri de duobus potest. primum, si iniusta eorum causa est perspicuè, quos volumus adiuuare. alterũ, si & subditi illi sint, subditi eius, contra quem ferre auxilium cogitamus. Et ad priorem quęstionem quod attinet, puto constituta stare, quia vt de subdito militante principi palam iniustè belligeranti scribit Augustinus, facere reum regem imperandi iniquitatem, innocentem tamen militem seruiendi rationem ostendere: ita cognationis & societatis caritas iuuet nos nostra, premat licet iniustitia eos, quibus esse auxilio laboramus. & diximus supra

Iniustè belligerantes defenduntur iustè.

iuſtum bellum ad iniuriam propulſandam, vel ſi meriti bellum eſſent, qui propulſant illatũ. Cum prẽterea ea ſit in bello iniquitas, vt idem ſibi in cauſſa ſua ius dicat, certè iuriſdicendi poteſtatem hanc extorquere conetur: poteſt & hoc prætextu alius princeps auxilium contra ferre, quo ciuiliter res componatur ſine armis. Idque illud eſt, quod non perperam Pyrrhus apud Plutarcum auxilio cum veniſſet Tarentinis contra Romanos, hos monuit priùs, vt ſua vterentur opera, qua ipſorum & Tarentinorum controuerſiæ componerentur. etſi nec iniquè regi auſcultare Romani noluerunt, quia voluntatis id totum eſt in ſummis principibus, populiſque, alterius arbitrio ſe ſubijcere. & habere eum ſuſpectum meritò potuerunt, accerſitum ab hoſtibus, cum hoſtibus armatũ, pro hoſtibus paratum pugnare. In altera quæſtione de ſubditis alienis contra ipſorum principem adiuuandis eadem mihi, prorſuſq; definitio eſt: quando eædem hîc ſunt rationes. an enim facimus iſtos ab ea

Subditos alienos tuemur probè.

cogna-

cognatione,& ſocietate alienos?an illeges facimus principes?nullis nec legibus, nec moribus,nec pactis,deuinctos? & ſi non facimus illeges,leges,dicite, quid proſunt; ſi pro libitu & libidine ſe ſoluant legibus ipſi,& nemo ſit,qui officij moneat, conſtrictoſq; retinere poſsit? num facimus a principibus omnes homines alienos? iſtæ ſunt rationes,quibus legatum obſtrinximus,& ſubditum aliquando fecimus libro ſecundo de legationibus capite XVI & XVII.Ceterùm hîc neq; ſubditum facimus principẽ,aſt eum tuemur,qui auxilio ſubditis illius eſt, & patrocinio. Nec itaque vlla hîc dominiorum confuſio eſt. quamquã nec ita diſtincta dominia ſunt, vt nulla iuris cõmunio ſuperſit. verùm ſi inter priuatos quæſtio eſt,in ea alienũ adire principẽ,fuerit iniuſtiſsimũ: ſi etiã inter ipſum ſuũ principẽ & priuatũ lis oritur, magiſtratus conſtituti ſunt,qui adeantur. cũ autem lis de re publica incidit, nec iudices vlli in ciuitate ſũt;nec ſunt alij,quàm externi.Quod ſi prętextum prętereа aliquẽ

parare principi auxiliari desideramus; id in primis occurrit dicere, quod cum ea sit summorum principum libertas, vt actionum suarum reddere nemini debeant rationem, non ita agendum cum ipsis est, tanquam cum priuatis hominibus agitur, sed contenti ratione aliqua esse debemus, memores quod nec vllã reddere teneãtur. Item quod vt iustum in re dubia bellum nostrates definiunt, quod ab imperatore dictum est, ita hîc idem nos censeamus in alio quouis principe summo, qui eiusdem est iuris scilicet cum imperatore; vt ijdem docent benè. si igitur moneat princeps, rogetque amicè priùs principem, vt ab iniuria in subditos desistat, neque hic finem faciat crudelitatis, aut tyrannidi modum imponat, iam rectè cognatis feret opem alius princeps. feret rectè, etiamsi de crudelitate & tyrannide subditi tantùm adfirment: nã si alius princeps amicum se arbitrum & disceptatorem controuersiarum obtulerit, quando istam cognitionem relinquere nequit, aut exceptus

tus bellum finiet inter principem & ſubditos; aut reiectus ſumet pro oppreſsis arma, ſiue quia credere valeat iam ſubditorum cauſſam iuſtam, eorum principe cognitionem refugiente; ſiue quòd iuſtam contrahere offenſionem potuerit, quaſi non ſat probum, iuſtumque amicum refutatum. Et in ſumma etiam ſi iniuſta perſpicuè cauſſa ſubditorum eſt, adhuc poteſt alius princeps cum ijs ſtare, quò & iſti & princeps ad condiciones æquas cogantur, potius quàm incerto, dubioque belli euentui, in quo & iniuſtitia eſt, vt diximus, res permittatur. Atque cum hæc ita ſint, auſim tamen affirmare, honeſtam hanc cauſſam auxilij ferendi ſtare nunquã quin & vtilitatis aliqua obtendi poſsit. ecce n. quæ modo maxima quæſtio eſſe poteſt, auxilia Belgis a regina noſtra quis non iuſtè ſummiſſa contendet? nolo alias excutere rationes, ſed viciniæ tantùm meminero. iniuſta Belgarum cauſſa ſit. non diſputo. iuſta ſit regis Hiſpaniarum. regina tamen iuſtè agit, quia bello Belgæ victi con-

condicionem omnino mutarẽt, id, quod regina ferre non debet. ſi quidem ſua intereſt mutatio hæc; atque alium habere vicinum, non paruum interſit. vt notat Terentius Clemens capite quinquageſimo quarto libri ſecundi de legatis, & alij alibi docent. quare nec ſi vicini hi velint ſubditi condicionem ſuam mutare; nec ſi delicto in principem ſuum commiſſo mutare cogantur, hoc ferre alius vicinus cogitur princeps, cui neque alterius voluntas, neque delictum afferre detrimentum debet. & licet in cauſsis priuatorum hæc videri vera non poſsint: vera tamen ſunt in cauſsis imperiorum, ex his rationibus, quas paullo ante expoſuimus. Et nec regula nocet, vt liceat in ſuo cuique facere, quod libet: nam ea obtinet tamen, ne peior vicini condicio fiat. vt ſcribit *Q.* Mutius capite primo tituli Digeſtorum de aqua pluuia. Atque notandum hîc eſt, mutari vicinos condicione eorum mutata, ipſi licet homines maneant: vt iuriſcõſultorum omnium vniuerſa diſputatio proba

probat de exceptione rei iudicatæ; & docta Aristotelis sententia libro tertio Politicorum, qui populum eundem asserit hodie, qui olim fuit, id quod & Alphenus libro quinto Digestorum titulo primo docet, & alij alibi; sed non eundem tamẽ, si ratio immutata reipublicæ fuerit. Verùm tempus est, vt quando de ratione omnis defensionis plura diximus, iam tãdem iustas inferendi belli causas dispiciamus. Et bellum quidem infertur eodem modo aut necessariò, aut vtilitur, aut honestè. sed hîc necessitas nisi in eo nõ est, quod eiecti suis sedibus aliqui, aut alia qua occasione exire coacti alias quęsituri sedes, bellum inferunt necessariò alijs, in quorum possessiones perueniant. Et hæc non probari causa nequit, aut homines hominum non misereri, dignum putamus, atque his mortem solam relinquimus patria pulsis, & extorribus. Videndum tamen est, ne fugati isti, mox non contenti opibus tenuioribus, quas scilicet absque bello reparare sibi potuissent, potiora loca

Belli inferendi causæ.

Causa necessaria belli inferendi.

quærerent: nam iniquè, ac barbarè agerent palam. Atque ad istam normam Gothorum, Vandalorum, Gallorum, Heluetiorum, Britannorum, nouas habitationes quærentium, examinare illata alijs nationibus bella decet. neque enim iustum est, quod Brennus, & Heluetij censuerunt, in quosque infirmiores desciuire: at quod Virgilius sapienter attigit Æneidos libro primo, & septimo, dum modico & innocuo loco Æneades, Troia profugos, contentos facit. *Hactenus* de necessaria causa. sequitur vtilis. hæc vindictæ erit in præsentia. & vtilis est; cum quia qui iniuriam non vlciscitur, is alteram prouocat: tum etiam quia nostrum nobis ius læsum, & imminutum ferre haudquaquam debemus. immo istam a natura vindicationem etiam esse, Cicero contestatur. Quod si priuatis leges nostræ non deferunt; ea causa est, quoniam priuatarum iniuriarum constituti vltores habentur. Ceterùm quando imminutum nobis dicere ius nostrum valemus? aut certè pa-

Causa vtilis belli inferendi.

patratum aliquid bello dignum ab his, bellum contra quos mouere, nobis in animo est? Adhibenda hîc iterum ea inspectio caussarum diuinarum, naturalium, & humanarum. & in caussis diuinis exponendum de ardua quæstione est, si propter religionẽ susscipere bellum oporteat, quo vera vindicetur, quæ est, aut esse videtur. Et Turcis, Pontificijsque res dubia non est, sed & Iustinianus noster bella a se susscepta ob hanc caussam religionis commemorat titulo septimo sextæ collationis. atque multorum sententia videtur, adserere religionem vi etiam oportere. itaque Plato in temeratores ipsius sancit capitis pœnam libro decimo de legibus. & Socrates ab caussam hanc necatur: proscribitur Diagoras, præmiumque ei constituitur, qui ipsum occidisset. alij alibi multantur, interficiuntur. vt recitat hæc omnia Iosephus libro primo contra Appionem. & idem libro primo antiquitatum de Abramo scribit, quemadmodum & iste solum vertere coactus

Caussa religionis.

est,quia primus innouare ausus religionem. Ratio autem huius visa sententiæ, quòd in omnium feri iniuriam credatur religionis contaminatio.quod ab imperatoribus dictum est capite quarto tituli Codicis de hæreticis.quodque pietate aduersus Deos sublata, fides etiam & societas humani generis, & vnà excellentissima virtus iustitia tolli videtur. vt Cicero ait lib.1.de nat.Deo.Verùm diuersa mihi sententia placet, quam & probatam omnibus,nemine excepto,contestatur Franciscus quidam a Victoria doctus monacus Dominicanus. quicquid re ipsa, ipsisue pontificibus, pontificijsque principibus definitio hæc doctorum suorum non adprobetur.Et definitionis illud est fundamentum,quoniam cogi religio nequit, verbisque non verberibus constituitur:vt loquitur,qui hoc nobiscum tradit, Lactãtius libro quinto capite vigesimo,& vigesimo primo. adeoque in libro de vita sua Iosephus,suo quemque arbitratu,nõ alieno impulsu,Deum colere oportere respõdet.

det. laudatque, libro primo contra Appionem, Romanorum magnanimitatē, qui patriam religionem deponere non cogebant. quam religionem? gentibus inuisam, & deteſtabilem. ac loquitur Ioſephus verè in tempora vſque ſua, ſi magni Pompeij & Veſpaſiani, & aliorum facta, non furorem Caij attendas. ſub Traiano poſtea, Adriano, Seuero non ita actum: vt Spartianus, & alij retulerunt. quamquam non religio mouit iſtorum arma, ſed eius contumacia gentis alieno ſub principe viuere impatientis, & mille occaſiones quęrentis indies iugum excutiendi. vt animaduertere apud eos auctores licet. Et hac ſuſpicione inducti, ſiue perſuaſione imbuti quidam hodie principes in noſtram ſæuiunt religionem, quaſi hæc poteſtati ipſorum aduerſetur. vt obſeruat libro decimotertio & vigeſimo Guicciardinus. ceterùm falsò. quodque de pontificia dici ipſius rectiſsimè poteſt, qua (vt infinitā taceam turbam clericorum et monacorum, qui a iuriſdictione principum omnium

eximuntur) ſubditi ſolent principibus ſubduci, quos ea religio hæreticos conſtituerit. itaque, qui hoc ſentiunt, rectè plectentur. & ſi noſtra pontificio principi religio aduerſaretur, ſubiremus & nos meriti mala. Et meritò propterea pulſi aliquando (quod Ælianus habet libro IX) Epicurei ab vrbe: nam diſſoluebat ea ſecta prorſus imperij adminiſtrationem, quæ multa in religionibus, & in Deorum metu erat. Ita & coetus omnis non receptæ vulgò religionis vetitus & coercitus grauiter; quia coitiones eiuſmodi ſuſpectæ meritò. & ſuſpectæ Chriſtianorum Traiano, & afflictæ donec certior a Plinio princeps factus de innocentia noſtrorum fuiſſet. *H*anc ob cauſſam in Anabaptiſtas magiſtratuum oſores ſtringitur iuſtè gladius: & omnis reijcitur conſtitutio meritò, quæ quid magiſtratibus ſubtrahit. ſi quid autem horum non fiat ex religione, nec ipſius diuerſitas faciet vllos odioſos, nec in ipſos arma commouebit. vt Ioſephus docet antiquitatum libro deci-

decimo sexto capite sexto. & Lactantius, & alii, qui nec in Ægiptios bestiarum cultores admissum aliquid obseruarunt. Iuuat porrò repetere rationem hîc ex vndecimo capite libri secundi de legationibus, quod religionis ius hominibus cum hominibus non est. itaque nec ius læditur hominum ob diuersam religionem. itaque nec bellum mouẽdum caussa religionis est. Neque me de sententia ista depellit aut Iustiniani nostri factum, aut aliorum imperatorum adsertio: vnis enim rationibus cedimus hîc. & Iulianum, Valentinianum, alios imperatores opponere imperatoribus possumus qui, quòd neminem ad religionem coegerint, claruisse maximè, memorat Ammianus libro vigesimo, & trigesimo. nec de Iuliano diuersum omnino refert libro decimo Eutropius; quidquid alii contendant, velintque. Et ita mihi rem tractanti videtur. & rationes generales allatæ sunt & ad externos, & ad subditos. *Hi* autem vtrùm se bello defendant iustè, si

prin-

Subditi si armis rectè defendant religionem.

princeps ipsos ad religionem cogat, quam non probant, alia quæstio est. in qua cum nostris putem defensionem non iustam: sed cedendum magistratui, soloque vertendum. non attingo aut verbo vno, ne contra vetus prouerbium scilicet rem actam agam. solùm dico, non iustam defensionem contra offensionem iniustam hîc: quia non aptæ personæ subditi. Et de subditis verè accipi definitionem admoneo; non de his, qui principem potestatis absolutæ non habent: vt imperatorem Germani hodie, & Lacones olim reges, vetustissimisque temporibus reges itidem suos Ægyptij. nam princeps nullus, aut respublica in Germania ad illud obsequium imperatori cogetur. De priuatis prorsus hominibus definitio est, qui nihil re ipsa retinent publici. reipsa inquam: nam nominetenus retinere nihil est: vt retinent scilicet ciuitates omnes, & honorarij multi alicubi Duces, Comites, Marchiones. Atque in proposito illa certa regula erit, vt videamus, si, qui reipsa retinent publicam rationem

rationẽ & ſpeciem, hi ſubditi in quibuſdam eſſe dicentur: aut de cetero ſubditi, in quibuſdam nec ſubditi proponãtur. quoniam priori caſu, niſi religio excepta oſtẽditur, omnino non obtinet definitio de cedendo magiſtratui ſummo, & ſolũ vertendo. poſteriori, itidem niſi religio excepta oſtenditur, obtinet definitio, & magiſtratui cedẽdum eſt, & ſolo vertendum. ratio verò vtriuſque concluſionis perſpicua, quoniam exceptio ſtatuat regulam in omnibus non exceptis. Quamquam non ita firma ſecunda collectio, vt prima eſt: & fortè nec vera eſt. quoniam vt exceptio firmet regulam in non exceptis, id tamen verum eſt, non tamen, vt ſub regulam cõcludat, quod aliàs concluſum non foret. atque num cauſſa religionis concluſa foret, dubitari poteſt, immo & negari, quia in omni ſubiectione creditur ſemper ſupremi principis auctoritas ſalua, itaque & cultus diuini ratio. quod dixi libro tertio de legationibus capite XV. item de religione ſenſum nihil licet exiſtimare, quo-

niam ſermone vtcumque generali numquam venit, quod, qui loquitur, numquã expreſsiſſet, & fuiſſet pollicitus. & tale eſt negotium religionis, quod Deo, non Cæſari adprobare oportet: in quo oportet Deo magis, quàm hominibus obedire. Quinimmo vel ſi religionis cauſſa veniſſet, ſubditi adhuc iſti non prorſus ſubditi conuentis ſtare non tenerentur, ſi religionem aliam meliorem viderent. nam receptum eſt, nec iuramenta valere, quæ tres illos comites iuſtitiam, iudicium, & veritatem non habeant: quibuſque omnibus hîc deteſtituimur liquidò, vbi falſam religionem probauimus imperiti, & retinere ſpopondimus. immo nec, niſi tantiſper iuramenta durant quoad iurata & promiſſa verbo Dei & bonis legibus non aduerſantur, aduerſariue appareant. Et ita igitur cenſeo, vt qui ſubditus, priuatuſque non eſt, obſiſtere principi in cauſſa religionis poſsit. Quod verò bella propter religionem non mouenda & ipſe credam; non propterea aut bellum ſacrum con-

contra Phoſences vitupero, de quo Thucidides & Diodorus: aut Spartanis indictum ab Argiuis; cuius idem Diodorus meminit: aut Hieroſolymis quingentis geſtum abhinc annis: aut tale aliud, quod humanas cauſſas habuerit, non quia deſideratum ſit, vt religio bellum inferentis ſuſciperetur. Verùm pro commentatione in rem iſtam multa nimis. Ergo ad cauſſas naturales deſcendamus, quæ poſt diuinas proponebantur. Atque hîc a natura bellū dicetur, ſi propter id ſuſcipitur, quod a natura tribuitur, & ab hominibus denegatur, exemplum, ſi iter negetur: ſi portubus, ſi cōmeatu, ſi mercatura, ſi cōmercio excludimur. Et de itinere audiamus Auguſtinum, Iuſta bella gerebantur, ait, a filijs Iſrael contra Amorræos: innoxius enim tranſitus denegabatur, qui iure humanæ ſocietatis aequiſsimo patere debebat. ita canone vltimo, cauſſa vigeſima tertia, quæſtione ſecunda. Et doctiſsimus huius iuris Torquatus Taſſus libro ſecundo Solymeidos, lege natuę vias

Cauſſa naturalis belli inferendi.

patentes cunctis, etiam exercitibus dicit. Et ita Romani ad octuagesimum cum Liguribus pugnarunt annum, vt tutum in *Hispaniam* iter haberent. narrante Strabone libro quarto. Quæ tamen quoniam habere solent difficultatem non leuem: & maximus theologorum Petrus Martyr Augustinum non satis probat, ea nos ita accipiamus, si nec timendum sit, ne noceri valeat. accipiamus, si non exercitibus, & armatis iter prohibetur, sed alijs etiam; atque nunc, iniuria vt ista vindicetur, & ius naturæ adseratur, bellum mouetur. nam patere exercitibus iure gentium itinera, nec facilè ipse admiserim; quia nec vnquã receptum hoc, nec gentes solent eo modo iter peragere. Itaque quod Tassus habet, id in oratorias artes reiecit acutè Scipius frater meus. Ad portus porrò atque commeatus, quod sequitur, iusta visa est Megarensium accusatio, & quærela, quòd præter ius gentium omni commeatu, ac portubus Athenienſium prohiberentur. scriptore Plutarco in Pericle. Nam qui ista,

iſta,& commercia tollit,ſocietatem illam humanam lædit penitus. Atque hæc vna eſt cauſſa, qua iuſtum *Hiſ*panorum bellum in Indos iuſtè adſtruitur.etſi enim cõmune omnibus barbaris dicat Strabo libro vltimo,vt hoſpites pellant:ius tamen & ipſis gentium ſtabit:quod videlicet non mutabunt,nec exuunt aduersùm eundo. *Q*uid mare prohibere,quod natura omnibus patet? vt Vlpianus noſter ſcribit tituli quarti capite decimoquarto libri octaui Digeſtorum.eius vſum communem omnibus hominibus, vt aeris, Celſus ait capite tertio tituli octaui libri quadrageſimi tertij.quid littora,quæ itidẽ a natura ſunt, & omnibus vacant: vt explicat Neratius capite decimoquarto tituli Digeſtorum de adquirendo rerum dominio. & Paulus C.LI.de contr.empt. & Marcianus capite ſecundo,& quarto tituli de rerum diuiſione.quo titulo, capite quincto addit Caius & riparum vſum,& fluminũ. atq; hæc omnia,& vſum portuum eadem definitione notat Iuſtinianus in ſuis Inſtitu-

tionibus. atque omnia ego sic accipio, vt accepi quę de terreno itinere exposita sunt. nam & eo capite tertio Celsus ait, *Littora, in quæ populus Romanus imperium habet, populi Romani esse arbitror.* Itaque non probè prohibent prorsus quidam, quasi imperiorum facta diuisio mox ista sustulerit omnia. nam auctores hi nuper: & ostendimus supra, quò progreditur vsque rerum, & regionum discretio. exclamemus ergo a diuino Marone docti, *Quod genus hoc hominum, quæue hunc tam barbara morē permittit patria? hospitio prohibemur arenæ.* Et ita de his omnibus tradi potest, in quibus naturæ ius læsum ad firmari valet, & communis societas gentium. sed de diuinis, & naturalibus plura non dico. Restat de humanis. eæ sunt, quę violato aliquo iure particulari iustè arma commouent. nam certa hæc est, & omnium definitio, vnam esse tantùm caussam inferendi bellum, iniuriam acceptam. quod idem ille monacus cōtestatur. qui & illud probè addit, iniuriam non le-

Caussa humana inferendi bellum.

leuem esse debere, quæ malũ adeo atrox commoueat : vt supra ego ipse admonui, & non vno argumento confirmari potest. Quæ porro iniuria non leuis sit, disputat iurisconsultus Vlpianus capite septimo, & nono tituli de iniurijs. & ego ex illius disputatione grauem iniuriã in proposito dixerim principi factam, aut eius subditis multis. quod & exemplis adstrui pluribus potest. violato iure hospitij iustè Græci contra Troianos arma capessunt, non iustè contra eosdẽ Hercules propter equos nescio quos. vt ait benè Strabo libro XIII. & iustè illatum bellum Messenijs, quòd, qui procaciter mulieres incesserant alienas, non multarint. vt idem refert libro VIII. & iustè ab Romanis occupata Cyprus, si rex ille ingratum se Romanis benemerentibus præbuit. vt idẽ notat libro XV. nã alij aliud adfeuerarunt. At infiniti laboris enumeratio hæc. speciem igitur vnam ponamus potiùs, de qua paucis disceptetur, ea verò sit de caussa belli Punici secundi. Liuius namque Annibalẽ notat. quòd

De caussa belli Punici secundi.

quòd cum probè posset Sardiniæ extorsionem Romanis obijcere, adeoque non restituentibus bellum inferre: a Sagunto potiùs, cuius vrbis tutelam malè contra se populus Romanus susciperet, belli occasionem arripere voluisset. & Polybius quoque principium in Sagunto oppugnato belli huius facit, non causſam, libro III. vbi illam causſarum & principiorum doctam differentiam habet. sed nos Annibalis iudicium (vt par est) supra scriptores istos euendo dicimus, in disceptatione de causis bellorum non remotas & consopitas, sed nec intrinsecas et latentes, at propinquas et extrinsecas esse considerandas. alioqui quid vetat, quominus causſa sit semper aliqua, si persequi & producere antiqua, & antiquata possimus? Causſas remotas non attendi, & sopitas minus, ius clamitat vniuersum. Sponte ergo cum cesserint Sardinia Cartaginenses viginti ante annos, quid vt repeterent? Dices, spõte, id est armis non coactos, sed magno tamen metu armorum cessisse. Difficilis

Remotæ, & sopitæ causſæ non bonæ.

quæ-

quæſtio ad factum illud : & diſceptatio ſumis principibus indigna, Annibaliſque maioribus: quæque petitoris partes in Annibalem reieciſſet duriores, atque, quia difficilem diximus quæſtionem, ferè etiam perditas. ſed an a Sagunto rectè Annibal? rectiùs quàm a repetenda Sardinia. nam a ſe bellum non mouetur quaſi : quoniam dubitari poteſt, ſi comprehenſi eſſent fœdere Saguntini. & comprehẽſi licet eſſent, quòd tamen hoſtibus Annibalis ſubſidio fuerint, iuſtè eos Annibal inuadebat. atque vltimum hoc aperti iuris eſt. ſed nec alterum de vi fœderis non poteſt pro Annibale definiri, etſi ſcriptores illi contradicant, & Alciatus & alij iuris interpretes noſtri pro ijſdem depugnent. nam apertè in contrarium eſt ea lex, quæ tempus præſens intelligi ſemper docet, niſi aliud comprehenſum fuit, his verbis Veſtis mea, Argentum meum, Serui mei, adeoque & his in ſpecie, de qua quæritur, Socijs meis, ſiue noſtris. lex illa eſt ſeptima tituli de auro & argento legato. Nec nocet, aut di-

uersa est lex vigesima tertia tituli de seruitutibus prædiorum vrbanorum, quam proferunt vnam colore aliquo nostrates, quia humanius ait, vt verbo generali lumen omne significetur, siue quod in præsenti, siue quod post tempus conuentionis contigerit: itaque de futuris luminibus nihil cautũ propriè videatur: & illa ibi humanior interpretatio sit, quoniã de modico incõmodo quæstio erat. vt est a Bartolo, alijsque explicatum in lege Si stipulatus, paragrapho Cum stipulamur, tituli Digestorum de verborũ obligationibus. proptereaque ad speciem nostram altissimam trahi eadem definitio nec debeat, nec possit. Liuij autem ratio inanis prorsus: quia vt licuerit Romanis, nouos assumere socios, & assumptos defendere; non propterea contra fœdus fecit Annibal, si hos nouos offendit. Atque ita tandem commentationem istam finiamus. Si quidem quod postremò dicendum fuerit de honesta belli inferendi caussa, & a nobis cogitur ad bellum, quod pro alijs suscipitur,

tur,id totum explicatum volumus ex his, quæ ad eandem cauſſam in bello defenſionis conſtituimus : vno illo immutato hîc,quod arma ad offenſionem iungi nolim armis iniuſtis:quoniam malum illud iniquitatis iuuatur hîc, quod ilic depellitur.

ALBERICI GENTILIS

I. C. professoris regij

DE IVRE BELLI

Commentationes duæ.

LVGDVNI BATAVORVM
apud Iohannem de la Croy.
1589.

Typographus lectori.

HAs duas de Iure belli commentationes, tertia breui subsecutura est, quam separatim edere curamus, vtpote diuersam à bellicis actionibus, de pace enim ac fœderibus est: vt ipse ab ore auctoris excepi: Cuius vel de legationibus libros denuò excudendos decreuimus, sed multò quàm antea auctiores & cultiores. Et commentarium ad titulum Digestorum de Verborum significatione. atque diu expectatum de Condicionibus opus. Interim, amice lector, his fruere & vale.

ROB. DEVORAXIO ILL^mo. COMITI ESSEXIO

Albericus Gentilis. S.P.

Ecce tibi, comes excellentissime, secunda de iure belli commentatio, quam istis feriis dedolaui. neque enim tantũ a munere mihi aliàs vacat academico, vt alijs superesse operibus possim. immo verò quod valeam illud explere in summa rerum omnium angustia, quæ me vndique premit, nec tamen hisce temporibus conquiescam, hoc si scires, admirareris, certè ego admiror non mediocriter. Verùm dum herois magni famæ, fortè etiam expectationi noui nostri cancellarij illustrissimi, atque academiæ benemerentis opinioni satis mihi faciendum esse video: quod per ingenij tenuitatem, eruditionis exiguitatem, horum adminentorum inopiam, quibus alij nulli mei ordinis viri destituuntur, facere ipse non possum; id laboribus improbis, constanti, perpetuaque diligentia extorquendum est, vel si sub tanto tandem studio fatiscere me, & succumbere necesse sit. Hæc tecum, ESSEXI, reputanti gratiores conatus hi mei aduenient, & a reprehensionibus fortasse multis præ-

ſtabuntur. Vt quid enim iudicium tuum non verear, qui a prima pueritia non arma ſolùm tractaſti, in quibus & natus es; ſed litteris etiam ita incubuiſti ſemper, vt quamuis illuſtrior te rei militaris gloria complexa ſit, non dubitem tamen, quin & in altera parte ſic valeas, vt quam aſſecutus ſummam in ea es dignitatem, tueri etiam digniſſimè, & ſuſtinere poſsis. Ceterùm in humanitate tua mihi præſidium tutius. Quemadmodum igitur primam de mea, ita ſecundam hanc commentationem humaniter cape de mei alterius manu Thomæ Smithi, ſecretarij tui, & viri cum cetera peregregij, tum Latinè ſcribendi præſtantia propè dixerim ſingularis. et hæc enim tua eſt, tibi deſponſa, tibi debita: qui non noſtros modò, ſed priſcos iam in ſtadio iſto rei bellicæ heroas vincis. nam trihorio ſub grauis armaturæ pondere quis ab omni antiquitate vnus haſtas centum & octo fortiſsimorum equitum ſuſtinuit, totidemque in aduerſa pectora fregit? id tu nuper. Sed non ego ampliſsimum hunc tuarum laudum campum ingredior. Vale, & ſalue. Oxon. IV. Kal. Ian. M. D. LXXXVIII.

ALBERICI GENTILIS
I. C. professoris regij
De iure belli cōmentatio
SECVNDA.

Vemadmodum verò bellum iustè susci-pere, ita & iustè tracta-re addecet. neque e-nim satis, si susci-pitur iustè, nisi & iustè geratur. vt alicubi dicit Augustinus. nam Tertullianus non verè, in libro aduersus Iudæos, dolum, & asperita-tem, & iniustitiam propria bellorum negotia scripsit. quia vt dolus, & aspe-ritas in bello locum habeat, nulla ta-men ipsius pars vacare iustitia potest. Atque hæc iustitia in eo primùm esse videtur, vt eum deliberationis nostræ certiorem reddamus, contra quem bel-lum deliberamus. id scilicet lege san-citum diuina est Deuteronomij XX.

Bellum indici.

vt Ioſephúſque ſcribit lib. IV. antiq. c. VI. id receptum Græcis, de Ageſilai encomio apud Xenophontem, & alijs locis multis liquet. Itaque ijſdem notati, qui intulerunt non indictum. quod obſeruabis in Herodoti Terpſichore, & in Meſſenicis Pauſaniæ. id barbaris obſeruatum, ijdem auctores oſtendunt. & Romanos fuiſſe in eo religioſiſsimos, vniuerſa ipſorum hiſtoria docet, & explicat Dionyſius lib. II. Liuius lib. I. & Cicero, vt relatum Iſidoro eſt, bellum iuſtum nullum niſi denunciatum, ſcripſit. itaque Varro, iuſta deſiiſſe bella geri ætate demum ſua, adfirmare non eſt veritus, more hoc ſublato denunciandi. & verò gentium proculdubio id ius eſt. nam vt agas hoſtiliter, amicitiæ illi communi antea quàm renuncies, improbum fuerit. & nec aliter in amicitia ſingulorum fieri conſueuit. quæ notabis de Liuio lib. XXXVI. Suetonio in Caligula, Tacito libro V. Valerio Max.

lib.

lib. IV. c. I. Atque ſi non eſt bellum clandeſtina contentio, denuncietur, oportet: quia clam ſit, quod nõ denunciatur. vt noſtri docuere iuriſconſulti. Abolitus autem mos non eſt: quando hodiéque pluries indicta legamus. & nec aboleri iuſtè poteſt, ſi ius gentium creditum eſt: quod immutabile eſt. Romani vltimum hoc retinuerunt iuſtitiæ priſcæ, & rationis bellicæ. quod memorat Polybius lib. XIII. olim etiam quaſi totam belli iuſtitiam in denunciatione iſta ſtatuebant: ſi verum Lactantius cenſet lib. VI. c. IX. nam verè equidem reprehendit: quoniam belli principium denunciatio, non vniuerſa belli iuſtitia eſt. Immo etiam præcedat indictionem, neceſſe eſt, admonitio, ſiue petitio; qua ſcilicet non diſpuncta, bellum eſſet, & indiceretur. ita Varro, & alij, & exempla frequentiſsima. Et quid ſanè eſt, vt renuncies amicitiæ, denuncies inimicitiam, nec tentes ius æquius primum? Poſtulata edi.

mum? atqui belli ius neceſsitatis: itaque omnium poſtremum. Hoc eſt, quod Romani ſolebant, vt bella tardè ſuſciperent: quodque laudabat Varro, & in caſu Saguntino obſeruauit Florus lib. II. hiſt. *non ſtatim*, ait, *ad arma procurrunt, dum prius more legitimo quæri malunt.* quaſi enim ferarum principis more, qui, vt legitur Plinij lib. VIII. c. XVI. ad pugnam velut ſe cogi teſtatur: ita & ad bellum cogi ſe, Romanus teſtari voluit, & conſueuit. Et hoc eſt, quod Fabius in ſenatu Carthaginenſi belli, & pacis electionem Carthaginenſibus dedit. & hinc probè vituperati Græci a Xerſe ſunt, qui omnia non tentarent priùs, vt ſine armis controuerſiæ finirentur. atque id Herodotus recitat in Polymnia. *Quæ verbis componi non poſſunt, armis decernantur.* ſic Tullus Dionyſ. lib. III. ſed hæc perſpicua. De eo quæramus, ſi in omni bello denunciatio exigitur. Et quod ſuſcipitur neceſſariæ cauſa defenſionis vtique

An bella omnia indicenda.

vtique denunciationem non exigit. Quod verò infertur neceſſariò, ipſum denunciari oportebit, & denunciatum ſæpe accepimus. atque ratio illa eſt, quia & ſine bello conſequentur fortaſsis exſules illi, quod quærunt: & conſecuti ſunt pluries. Æoles recipiunt Colophonios, Lacædemonij Mynias: vt Herodotus tradit lib. I. & IV. Cumæi alios, vi quidem coacti, ſed abſque bello: vt habet Pauſania lib. VII. & eodem modo Gothos Romani: quod apud Procopium legeris. In vtili defenſione nec diuerſum conſtituetur: quando eædem cauſſæ manent. ſatiſqúe vel metui conſuletur, vel belli neceſsitas adprobabitur. dari obſides poſſunt, tradi arces, ſummoueri præſidia, dimitti exercitus, ſponſores adſumi, fides obſtringi, iuſiurandum interponi, præſtari id genus reliqua: quæ licet vincula videri leuia poſſunt in regnandi iure, ſiue iniuria: quod & Tullus ait lib. III. Diony.

Vtilis defenſio.

ſunt vincula tamen, & iuſiurandum quidem gentium omnium, vt ait Menenius Diony. lib. VI. nec ſunt alia: & ea recepta ſunt: & ſi non reciperentur, nihil niſi confuſio ſupereſſet rerum omnium: nec iniuſtus, & refractarius coargui iniuſtitiæ, ac preuicaciæ vmquam valeret. Idem porrò & in vindicatione ius conſtituemus, vt bellum denunciare teneamur, qui quærimus vltionem: ſiue iniuria recèns accepta eſt, ſiue vetus eſt. & in veteri ſtatuemus fortiùs, quia videri poteſt non ad animum reuocata, adeoqúe nec iniuria eſſe, aut dimiſſa eſſe: auctore Vlpiano c. XI. tit. Dig. de iniur. ſed & in recenti non aliud tradunt hiſtoriæ iuris iſtius magiſtræ: ſupradictæ rationes vincunt. Ceterùm hic quædam conſideremus. ſi illata iniuria fuerit bellica, id quod ex apparatu cognoſcitur, nec indictum bellum fuit: certè neque nos, qui bellum in preſentia ad vltionem mouemus, indicere

Vindicatio

Quando bellum non indicitur.

dicere oportet. nam iura violanti ius redditur, si ius non præstatur: vt explicaui lib. II. de legatio. c. VI. Item neque his bellum indicetur, qui iam pro hostibus habentur. vt quid enim opus indictione, in qua denunciatio inimicitiæ, si hostes sumus? Ridiculum habitum est, quod Cimbrorum rex petijt, vt de tempore, ac loco pugnæ sibi Marius constitueret: qui respondit que, Romanis in more non fuisse, hostibus de prælio adeundo consiliarijs vti. quod & Antigonus Pyrrho, & superaddidit, militiam suam non magis armorum, quàm temporum esse. quæ Plutarchus recitat, Et ita fortè excusari Pyrrhus ipse potest, qui Lacædemonijs querentibus, bellum ipsis non indictum inferri, respondit, eos nec prenunciare alijs, quod facturi essent. Aut illud credi etiam valet contemptum ius hoc Lacædemonibus aliàs: propterea nec iustè repetitum a Pyrrho. non enim vulgarem hîc resAlius casus.

Tertius casus.

sionem adsumerent, & ad Pyrrhum quod attinebat, liberas se se ædes habuisse, & rem inter alios actam Pyrrho actionem non præbere: quoniam iuris huius publici maior communio est. Et ita mihi videtur. Porsena igitur, qui bello indicto tempus immo, locumqúe denunciauit futuræ inuasionis, simplicitatem veterem, & superuacuam rationem tenuit. aut fidentis viribus id magis est. & fiduciæ fuit Catonis contestatio similis, Liuij lib. XXXIV. & reginæ Tomyris, Herodoti I. nos ius quærimus. atque quantum memini, nec Agesilaus, nec Alexander, nec alius, qui barbaris bellum intulerunt, iis bellum denunciarunt. & ita citra hæc solennia sunt belli iura cum externis: vt tradit Pomponius cap. V. Dig. de capt. quales a Spartanis barbari censebantur: notante Herodoto libro vlt. Quamquam I. C. Paulus cap. XIX. eiusdem tituli, iura illa iniu-

rias

rias potiùs appellet. & ſunt ſanè iniuriæ ad iura indicti belli collatæ. & ius ſolùm ex conſtituto generali habent, vt hoſtes æternùm eſſent. & ius igitur. & temerè igitur Iohannes Bodinus lib. I. de rep. c. VII. Romanam legislationem notat: & bellum non denunciatum probat in vniuerſum. Quod verò indictum aliquando barbaros inter & Græcos bellum eſt, id ſequela eorum fuerit potiùs, quæ petebantur, ne in bellum deueniretur: certè neceſſe non fuit. Geritur præterea bellum nec denunciatum, ſi iniuriæ durat factio, aut iam fiat. exemplum, ſi prædatores agri noſtri nos bellico paratu perſequimur redeuntes ad ſua. & ita Abramus, Dauid, alij. neceſſaria enim defenſio hæc, quæ non his legibus tenetur, ſed explicatur ita, vt ferunt occaſiones. quid enim ſi bellico apparatu opus eſt ad prædatores hos repellendos, illum ego non adſumam

Quartus caſus.

citra belli denunciationem, cum interim tuti ad ſuos redibunt, onuſtiqúe bonis noſtris prædatores? reuerſos non petemus bello niſi indicto. iuris tamen interpretes non finirent tempus illud tam anguſtè, quàm facimus nos. ſed vt contra iſtos in cauſsis priuatorum facit nobiſcum Iulianus c. XVII. D. de vi, & de vi arm. quod docuimuſq; de diu. te. app. c. VIII. ita et in cauſsis imperiorum faciet; quia non hîc diuerſa ratio eſt; & exempla idem euincunt; & conuincunt ſupradicta de recto iure poſtulatorum.

Quintus caſus.

Sic & indenunciatum geritur bellum, ſi in rixam itur, & ſuccreſcentibus vtrinque viribus iuſto prælio depugnetur. quod enim ſpatium conſultandi, aut indicendi bellum? & ita a ruſticis orta propter ceruum interfectum contentio in iuſtum bellum duci a Virgilio potuit.

Sextus caſus.

Sed nec bellum ijs denunciamus, qui defecerunt, nec Fidenatibus, Camerinis Romani denunciant, Dio-

ny. lib. v. & his ius gentium belli non eſt. vt expoſuimus in libris de legationibus, & priori commentatione, iterumq; exponemus. Alij eſſe præterea caſus poſſunt, in quibus hæc vacat ſolennitas indictionis: ſed eos in commentando non perſequimur. Hactenus autem de vindicatione. Quid in bello, quod alterius gratia ſumitur? Diximus, lædi nos læſis amicis ſingularibus. itaque denunciationem ceſſare quis credat tamquam in bello neceſſariæ defenſionis. contrarium tamen Romani faciunt in ſociorum cauſſa Tuſculanorum, Saguntinorum, aliorum. Iuſtinus Lacædemones vituperat, qui inducias, quas proprio nomine condixerant, ex ſociorũ perſona rumpebant, quaſi minus periurij contraherent, ſi ferentes ſocijs auxilia potiùs, quàm aperto bello dimicaſſent. ita lib. III. & contra eoſdem Pauſania in Meſſenicis, quòd conductitij ipſorum milites tum Meſſenijs iniurij erant. quod

Auxiliaris ſi indicit.

tanto

tanto turpius eſt. & improbi ſanè Lacones in vniuerſo hoc iure belli: vt dicemus rurſus. itaq; ſiue a ſocijs accipientes auxilia, ſiue ſocijs præſtantes non excuſamur: ac palam, hoc eſt per denunciationem, tractare bellum debemus. Verùm non ita ſimpliciter cenſeo; at diſtinguo. arma in ſingulariter fœderatum, coniunctumúe non mouebis, niſi coniunctioni renuncies priùs. ſic Romani neque pro dediticijs Campanis contra Samnites antea arma ſumunt, neque contra Cartaginenſes pro Saguntinis. quod ſi nullum intercedit vinculum præter commune naturæ, auxilium putem contra feres, nec bellum indices. minus enim communi huic vinculo debetur. vt eleganter Alciatus oſtendit ad tit. Cod. de in ius voc. Et noſtrum bellum non eſt, quod nec noſtro nomine geritur, nec auſpicijs noſtris: itaque ſi in ſocietatē belli veniſſemus, et belli nomen commune, & res communis foret, denunciandum

ciandum esset. vbi nulla pars belli sumus : vbi iniussu nostro bellum geritur, & finiri potest, quid indicemus? & si auxilia pecuniarum ferimus, bellum quoq; indicemus? & si commeatuum? & si consiliorum? Ita ego opinor, vel si arma ad offensionem mouentur, quibus auxilia conferimus. quia qui bellum mouet, ipse indicit. alius bellum, quod suum non est, indixit numquam. Nec verò obstat, quod propter auxilia hęc summissa peti nos bello possumus, & petiti a Cæsare Britanni sunt, ab alijs alij; adeoq; patrasse hostile aliquid videmur. nam patrauimus quidem, sed non id bellum. hoc autem indicendum est: aliud non item; aut non vt bellum. sed & de indictione satis: si addo illud, quod bellum non indictum, vbi indici bellum oportere definiuimus, internecinum est. atque id de Plutarcho cognosces in Pericle. idq; est, quod nulla belli lege, sed pro libidine geritur. vt ad-

Bellum internecinum.

notaui lib. II. de legatio. c. VI. & quod deteſtabile dicit Alciatus, & iniuſtum cum reliquis omnibus pronuntiat lib. VIII. Parerg. c. XVIII. tantum videlicet in recto principio, & in iſta denunciatione eſt, vt inde regulam cuncta accipiant. In bello autem agendo aliquid eſt, quod ipſius partes omnes peruadit. atque id tractatio de dolo eſt. De dolo. de quo ſcilicet non vna in parte belli, ſed vbique diſpici poteſt. quemq; hoſtes contra non ſecus atque virtutem admittit Virgilius eo verſu, *Virtus an dolus quis in hoſte requirat?* & Auguſtinus, vt in Decreto eſt, cau. XXIII. q. II. *Cum iuſtum bellum ſuſceperis, vtrum aperta pugna, vtrum inſidijs vincas, nihil ad iuſtitiam intereſt.* & Ammianus lib. XVII. *Nullo diſcrimine virtutis ac doli proſperos omnes laudari debere bellorum euentus.* & his omnibus maior Vlpianus c. I. tit. Dig. de dol. *Veteres dolum etiam bonum dicebant, & pro ſollertia hoc nomen accipiebant, maximè ſi aduerſus hoſtem, latronemúe quis machinetur.*

chinetur. Ecce autem tibi in limine ipſo quæſtio, quòd hoſtes, latroneſq; iuriſconſultus videtur pari definitione cõplexus. & ſanè quidem dolus bonus aduerſùs hos, & illos, ſed non eiuſdem tamen ſpeciei. nec qui bonus in latrones, is & in hoſtes eſt. nam in ſubditos, omnisque iuris violatores plurima longè dantur, quàm in æquales, & iuris eiuſdem obſeruatores. quamquam in argumento *iſto*, quod iam de dolo tractamus, fortè & verum eſt, dolum non alium contra latrones admitti, quàm contra hoſtes admittatur. ſic enim, verbi gratia, conſentiunt interpretes iuris omnes, fidem pollicitam ſeruandã quoque latronibus eſſe. quod videris ad L. conuentionũ. D. de pact. Et de latronibus quidquid eſt, videamus nos, qui dolus in hoſtem admittatur. Et malus vtique non admittitur. nam iure cum hoſte agitur, ius autem malum non eſt. Dolus malus malitia eſt ad alterum decipiendum. malitia

Dolus an idem in latrones & hoſtes.

Dolus malus reijcitur.

malum ſignificat, non vt dolus de bono q̃; dicitur. Dolus bonus eſt iuſta alterius circumuentio. ipſe dolus niſi aliena circumuentio eſt: quæ mille modis contingit, non, vt Seruius exiſtimauit, vno, cum aliud ſimularetur, ageretur verò aliud: vnde a Labeone reprehenſus, & ab Vlpiano fuit. quamquam & Aquilius, & Pedius, & Vlpianus ipſe alibi, & alij nunc cum Seruio ſentiunt. Huius autem loci quæſtio non eſt, vbi res ipſas ſtrictim attingimus. Circumuentio itaq; dolus, fraus, fallacia vel verbis vel factis contingit. A verbis abſint capedunculæ omnes. nam bonæ fidei ſunt omnia, quæ de principibus ſũt, & ſcrupuloſas reſpuunt interpretationes: vt noſtrates benè, nec vno loco docuerunt. leguleiorum hæc, ſillabas, & apices aucupantium ſunt, non militaris ſimplicitatis; cui tam variè, tam multis modis, tam multa leges indulgent. ſecura ea, & obtuſior, & a fori calliditate longè poſita: vt inquit

Dolus verborum.

quit Tacitus in Agricola. Igitur Romani non ſat ꝓbi, qui liberam Cartaginem fore polliciti, ad ciues pollicitationem tranſtulerunt, quibus ciuitas conſtaret, non mœnibus & ædificijs, quæ ſubruerunt. lege Appiarum de bel. Pu. Et Romanus improbus, qui naues ſecuit Antiocho omnes, quòd dimidiam partem nauium ex fœdere icto tradere rex deberet. & præſtigiator improbus hic Valerio dicitur libro VII. c. III. Pericles improbus, qui hoſtes, futuros incolumes pactus, ſi ferrum deponerent, necat, quòd in ſagulis fibulas ferreas retinuiſſent. vt Frontinus recitat lib. IV. c. VII. Plateænſes improbi, qui captiuos reſtituere cõuenerant, quos necatos reſtituũt. vt refert Thucidides lib. II. Alexander improbus, qui incolumẽ ex vrbe deceſſũ annuit, ſed progreſſos interimi iubet. quod narrauit Diodorus lib. xvii. Vt quid enim ius conſtituatur etiam a longè pluribus exemplis, ſi ius a iuſtitia

appellatur, non ab exemplis eſt? quæ præterea & iniuſta ſunt palam. Dolus is nec in cauſsis priuatorum ferri poteſt; tantum abeſt vt in publicis iurisgentium comprobetur: in quibus ſimplicitas proculdubio maior adeſſe debet, quia & ipſum ius gentium ſimplicius eſt, quo eſt nomine etiam notius, & receptius ſcilicet. Et itaque Carolo V. Cæſari, & Ludouico XII. Galliarum regi exprobratum, quòd non principibus, ſed leguleis dignas verborum, & pactorum interpretationes adferrent. vt apud Sleidanum legi lib. XIX. Guicciardinum lib. V. Thraciumq; commentum, & prouerbio notatum, quòd, inducijs in dies pactis triginta, noctu hoſtilia peragerentur. vt legere eſt apud Ciceronem lib. I. de off. & Strabonem lib. IX. Sed & mendacium omne a probabili dolo moueant fortè omnes: quaſi bonum eſſe mendacium nullum poſsit. mihi verò audienti, prudentiſsimos quoſque principes

De mendacio.

cipes ita ſe compare, vt quæ minimè omnium fieri cupiunt, ea identidem ſe iactitent eſſe facturos, in definitione hac generali ſubſiſtendum videtur, ne omnium prudentiam omnem damnare iniuſtitiæ debeam. Et verò Ventidij mendacia, narrata Dioni lib. XLIX. cur improbentur? exploratores Parthorum cum noſſet, qui transfugæ videri volebant, & tractabat humaniter vt amicos, & eis contra ſuos abutebatur, dum ſinebat ſe ſcilicet audiri ab ipſis, quod facturus foret, quando alia cogitabat omnia: vt illi de perceptis conſilijs facerent Parthos certiores, hiqúe ad nunciata pararent ſe, interim vt imparati alibi offenderentur, vbi verè inuadere ipſos noſter hic Aſculanus decreuerat. Ecquid Themiſtoclis vituperem mendacium, quo Xerſem exegit e Græcia? nam quod ſibi in omnem euentum proſpicere, & præuaricatorem agere voluerit; vt in Vrania Herodotus ipſum notat, illud ego non laudo,

laudo, ſed tantùm contra hoſtes mendacium: & mendacium huius, quam recenſui, ſpeciei. nam & conuentiones non inſunt: quinimmo nec dicta Parthis ſunt. Vt verò in mendacio ironiæ turpitudo non eſt, Socrate (vt habet Quintil. lib. IX. c. II.) ironico, adprobatore Ariſtotele lib. V. Eth. & ea ratione ſuadente, quod ita effertur, vt diuerſum a ſono verborum ſignificet: ita nec mendacium Themiſtoclis turpitudinem habeat, quia hoſtis non paciſcentis verba non id habent, quod ſonant. Et quemadmodum ſophiſtarum ſtultitia, in veras laudes haurientium Socratis ironias, Socratem non ſugillat; ita minus multo Themiſtoclem fatua Xerſis perſuaſio: certior enim eſt intellectus diuerſus in verbis hoſtium. & intellectus eſt, quem ſequimur, non ſonum. Quid? is né improbus, qui alteri prædixerit, ne fidem extra certas cauſſas verbis ſuis præberet, ſi extra eas cauſſas mendacio imponat?

Ironia.

ponat? at extra cauſſas conuentionum num hoſtis hoſti non fidendum ignorat? pro eo itaque eſt, ac ſi prædictum hoſti foret: nam eum qui certus eſt, facere certiorem non oportet. quæ eſt Vlpiani adſertio. c. I. tit. Dig. de ac. em. Sanè itaque nec cenſuerim mendacium omne malum: quando & officioſum Plato probat in Timæo Locri, alibiq;, & alij, vt ſcripſi lib. III. de legatio. c. XVI. & hîc addere poſſum exempla melancolicorum, qui & mendaciis curantur ſcilicet. & illud de Heliodori primo, Pulchrum mendacium, cum auctori commodat, & audienti non nocet. & illud de poeta antiquo aptè, *Quum vitia proſunt, peccat qui rectè facit.* Scio autem quàm opinioni huic ipſum mendacij nomen aduerſetur, & integra diſputatio contra omne mendacij genus habita in Decreto. Sed & fraudis nomen horremus, de quo fraudem tamen bonam exſculpimus. & in Decreto non ita conueniunt omnia,

Officioſũ mendaciũ.

quin etiam quædam pro huiuſmodi mendacijs non ſint, adeoq; farraginem illam diſcordantium canonum verè non agnoſcamus, alteram tituli partẽ deſideremus. *Sunt mendacia, quæ tamquã non mendacia habenda ſunt.* c. VII. c. XX-
iocoſum. II. q. II. *Cum quæ non ſunt tamquam ioco dicuntur, non deputantur mendacia.* can. xviii. ecce tibi ſcæna omnis & poëſis. *Simulationem in tempore adſumendam Jehu regis nos doceat exemplum. &c.* can. xxi. & mentiebatur rex, ſe cultum Baalo exhibiturum. fuerit autem ille dolus vt non bonus in hoſtes, ita in latrones illos ſacrificulos laudatus. Age porro audiamus, quid ſit mendacium. Eſt falſa ſignificatio vocis cum voluntate fallẽdi. can. v. Et eſt in omni mendacio falſa ſignificatio vocis, in officioſo, iocoſo, ironico. Sedan & voluntas fallendi itidem in omni? in ironico potiùs irridendi, ridendi potiùs in iocoſo: vnde & tamquam non mendacia cenſeantur. aut ſi mendacia ſunt, mala non ideo

ideo ſunt. aut enim falſa vocis ſignificatio hic eſt effictio omnis, & modulatio vocis; quæ omnis mala non eſt: aut abuſus eſt orationis, quæ, vt veros promat animi ſenſus, data eſt; & tum niſi fruſtra adiecta ſunt ſequentia, fallẽdi voluntas de praua accipietur, quæ mendacia ſupradicta non attingit, nec quod in hoſtes pernicioſum committitur, quos non prauè decipimus. Idem ego hîc, quod de furto Ariſtoteles lib. I. Rh. vt ſicut illud non eſt, etſi clam eſt quid ſubreptum, niſi & vt damnum alteri: ita nec mendacium ſit ſtatim in falſa vocis ſignificatione, niſi et nocendi animus adſit. Quod ſi verò ad vtilitatem datus ſermo eſt, vt hic cenſet magiſter lib. I. Polit. c. II. quæſo num improbemus mendacium officioſum? Scito autem, in tota hac diſputatione non me vllibi dicere, mala facienda, vt bona adueniant, ſed abuſum malorũ malum non eſſe, at bonum. Ceterùm latiùs iam hoc tracto, quàm ſuſcepta

Dolus factorum.

ſcribendi ratio ferat. Ergo hoſtes huiuſmodi dictis circumuenire, iniuſtum non eſt: ſicut nec iniuſtum eſt, fugam fingere, timorem ſimulare, profectionem oſtentare, inſidias diſsimulare, id genus reliqua agere. nam quid intereſt, verbis, vel factis ſimules? lingua, vel pedibus ſignifices fore, quod non futurum cognoſcis? facturum te, quod immo non facturum probè tenes? adi, obſecro, Quintilianum libro XI. c. III. Actio corporis ſermo eſt. Cic. lib. III. de orat. & dominus verbis, vel facto, vel vtriſque fingebat ſe longiùs ire? Luc. vlt. Ita igitur loqui, vel agere, ne fidem hoſti obſtringas, & minus multo Deum inuoces, atque ipſum fallere, contra ius belli non eſt: neque ego hoc genus fallaciæ, in quo nihil niſi falſa ſignificatio, turpe puto; quando principes, philoſophi, medici, iurisconſulti non improbarunt, immo probarũt, & alij, & is, cuius ſumma eſt auctoritas. Eſt verò & in factis dolus, qui

qui non probabitur. Veneno contra hoſtem vti non licet. & barbari contra Alexandrum vſi ſunt, vt refert Cicero lib. II. de diuin. Diodorus lib. XVII. et, vt ego cenſeo, barbarè. cibos alij infecerunt, quos hoſtibus expoſuerunt quaſi prædæ: & in his Cyrus, vt per Herodotum libro 1. Maharbal, vt per Frontinum libro XI. c. V. Cliſthenes Sicionius, vt per eundem libro III. c. VIII. ſiue potiùs Solon, cuius conſilio ille vſus, vt per Pauſaniam lib. vlt. Sed & alij contra Pompeium, quorum Strabo meminit libro XII. atque non hi barbari ſolùm, & Græci, ipſeq; iuris auctor magnus Solon, verùm & dux Romanus Manlius aquas hoſtibus infecit, vt Liuius narrat li. xxxviii. Sed neq; exemplorũ copia vincet, ius eſſe, huiuſmodi dolis vti: neq; Solonis, aut alterius, ſiue priuati, ſiue populi auctoritas excuſabit factũ. quod et improbatũ ſenatui Romano fuit, & ratione certa damnatur, quia venena internecina ſũt; De veneno.

adeoq; in iuſtis bellis non ſit iuſtus eorum vſus. & Romani appoſitè aliàs, bella armis, non venenis geri debere, conteſtati ſunt. quod recitat Valerius Maximus lib. VI. c. V. & Cornelius Celſus, *Ne hoſtibus quidem*, inquit, *malum medicamentum dabit, qui ſacramento medicinæ legitimè eſt obligatus*. Quid alia noſtratium dicam? in veneficio proditio: auctore Baldo in l. nemo. C. de ſu. tri. itaque nec ſi licet proſcriptum occidere, veneno licet: ſcribente Angelo in l. vlt. ad Bar. C. de delato. Pico in l. vt vim. D. de iu. & iu. nec ita damri quis poteſt, vt veneno necetur. c. VIII. D. de poe. Plura dico? Addas tu contra veneficia hæc latam Plinij diſputationem in prin. lib. XVIII. Addas, quod nec vſæ armis venenatis gentes ſunt, vſuræ procul dubio, ſi rem iuſtam cenſuiſſẽt. ſed nec hodie vtimur, quãdo nihil non adiectum feritati bellicæ videtur. Idem & de alijs rationibus vtendi veneno. Et rectè Scipius meus fraudem

dem hanc in tyranni perſona Taſſo factam adnotauit: atque alia in hanc noſtram protulit opinionem. Faceſſat igitur dolus iſte hinc longè. Sed de proditionibus, quibus & olim, & nunc ferè omnia bella geruntur, quid dicemus? An corrumpere pecunijs arma hoſtium licet? ars Philippo facta palam: vnde & dictus maiori ex parte mercator, quàm victor Græciæ: vt ait Val. Max. lib. VII. c. II. Romani duces Curſor, & Metellus videri poſſunt & ipſi hanc aliquando artem feciſſe: vt per Frontinum lib. I. c. VIII. libro III. c. III. Perſæ pecunijs magis, quàm armis vſi in Græcos ſemper: vt a Pauſania obſeruatum eſt lib. VII. Ego verò de re ipſa dubito: nam rectè Eleos dixiſſe puto, aſpirare ad victoriam virtute, non pecunia oportere. quod idem Pauſania ſcripſit lib. V. cuius & illa ſunt lib. IV. *primi omnium Lacædemonij ex omni antiquitatis memoria hoſtes dicũtur muneribus ſollicitaſſe, & venalem feciſſe belli*

De proditione.

belli euentum. priùs virtute, fortuna, deorum presidijs res bellica stabat. Sed hos dolos dij suo tempore in ipsorum vertere perniciem. Ita est: nam oppressi his artibus magistri sunt. Et improbam Lacædemoniorum institutionem, omnia metientium (recensente Plutarcho in Alcibiade) vtilitate, quis & hîc non agnoscit, & non improbat? Homerus certè non carminum modò, sed totius ciuilis sapientiæ pater, vt omnes volunt, & libro primo toto Strabo contendit; omnis virtutis, vt dicit Iustinianus; omnis iustitiæ, vt Plato, & iuris consulti censent; sūmus rei bellicæ magister, vt magnus credidit Alexander: Homerus, inquam, cum varios belli dolos expressisset, nec veneni meminit, (aut ego non memini) nec huius corruptelæ pecuniariæ. vt liceat sanè opinari, eam indignam, quæ in bellicas fraudes referatur. Ergo ita concludendum videtur, vt hæc mercatura magis sit. vt cauponantes sint, non belligerantes, qui eam tractant.

tractant. ſint neque bellipotentes, neque ſapientipotentes, ſed mercatipotentes. Quoniam tamẽ inualuiſſe fraus iſta videtur; fiat, vt accuſari hoſtis mercator ab hoſte non poſsit. Et is ſit caſus vnus, quo iuſtitiæ iſtius iuris gentium derogetur. nam & derogatur aliquando, ſi vera præceptores noſtri nos docuerunt, abrogatur numquam. Et quod non ratione introductum eſt, ſed errore primùm, deinde conſuetudine obtentum eſt, id & maneat eodẽ modo. vt diceret Celſus, cuius eſt lex antepenultima tituli tertij Digeſtorũ. Atque ſi nundinationem iſtam ſtare ſine ratione, & iuſtitia bellica exiſtimamus: quid ſi & in facinoribus ipſis turpitudo præterea eſt, quæ mercamur? Age nec eſt quæſita proditio Faleriorũ puerorum, ſed ab auaro pædagogo duci Romano oblata. hîc Camillus, vt Liuij legitur lib. V. *Nobis cum Faliſcis, quæ pacto ſit humano, ſocietas non eſt: quam ingenerauit natura, vtrisque eſt, eritque. ſunt*

Falerij pueri.

& belli, ſicut & pacis iura. atque læſa eo facto iura belli fuiſſent, quoniam vt nocere illa ætas nec ſolet, nec poteſt, ita neque noceri eidem debet. Læſa & naturæ ſocietas foret, nam illi manet ætati, quæ neutiquam violauit. & ſicut ad ius publicum quod attinet, nihil eſt ius paternum, vt ait Hermogenianus c. XIV. D. ad S. C. Treb. ita nec ad ius naturæ filijs diſperdendum, quod a patre nec eſt, faciat nihil paternum ius, & factum paternum. Quo igitur in facto naturalis ratio læditur admiſſo, id admitti nec debet. quoniam nec dolus poteſt bonus eſſe his legibus violatis, quæ hoſtibus manent, & rebus hoſtium. Et verò vt Camilli conſilium adprobamus, ita vituperamus diuerſum Ariſtomenis in Lacænis intercipiendis virginibus, proq; ipſarum redemptione pretium exigendo. quod habet Pauſania lib. IV. Vituperamus & medici pollicitationem Pyrrhi, quã & Romani ſunt deteſtati. nec verò venenum

Pyrrhi medicus.

nenum tantùm ſenatui reiectum, ſed ratio ipſa fraudis condemnata eſt, & totum hoc genus inſidiarum. ecquid enim ex bello, publica contentione, inſidiæ aduerſùs vnum caput fient? quod etſi publicum eſt, vnum eſt tamen, neque totum publici eſt. Scæleſti Ætoli, qui ita Nabidem (narrat Pauſania lib. VIII.) ſuſtulerunt. iniuſtus Seruilius conſul, & perfidiæ notatus Valerio lib. IX. quòd Viriati cædem ita quæſierit, & victoriam non meruerit, ſed emerit. iniuſti, & qui Eumeni idem ſtruxerũt. vt apud Plutarchum. iniuſtus Darius, qui (ſcribit Curtius lib. IV.) Alexandri milites in huius necem ſollicitauit. Et tu Alexander nunc magne, qui huius ipſius hoſtis grauiſsimè vltus es necem. Et tu Iohannes Bodine verè, qui conductores hos parricidarum non minus turpiter facere putas, quàm ipſi, qui turpitudinis ſuæ mercedem accipiunt. ita c. II. lib. vlt. de rep. Pergamus porrò. Neque Iudithæ, neque Scæuolæ facta

Iuditha, & Scæuola.

facta laudamus, laudata licet alijs audiamus. quamquam Iuditham qui laudant? Scæuolam Romani: vt apud Dinysium est libro V. Sed & is improbetur, qui latronem egit magis, quàm hostem. Sed & a proditionis crimine non est solutus, qui mentitus amicum est, & in amicis latuit. Est verò proditio diuinæ, naturaliq; legi inimica, vt si possim quem interficere, interficiendo proditoriè etiam puniar. quod Menochius lib. I. de arb. q. XC. Ita neq; per nostros hostem circumuenire, neq; per suos ipsius possumus. Cape, quæ de C. Domitio, & L. Crasso memorat Val. Max. lib. VI. c. I. & iustitiam creditam senties, opera proditoris aduersùs hostem non vti. Quid? verum né esse potest, vt proditor ipse omnium voce cõdemnetur; is, qui auctor est proditionis absoluatur? fieret, si non turpitudo vtrinque foret. at est, quoniam turpis res, de qua conuenitur. quæ est sententia iurisconsultorum tit. Dig de cond.

ob

ob tu. vel iniuſ. ca. Non etiam nos induamus proditoris perſonam, vt induit Iuditha, Scæuola, nam & hoc grauius eſt. Hîc videor mihi audire, qui dicant, tolli a me bellicas omnes artes, dolos bellicos omnes, contra quàm iecerim fundamentum : neque locum relinquere vel oraculo, quo moniti illi ſunt, apud Pauſaniam libro quarto, ne tantùm muneribus Martis belligerarent, verùm etiam & aſtu : iniuſta pronunciari a me ſtratagemata, quę hactenus damnauit nemo; ſtratagema etiam Zopiri laudatiſsimũ, et Cumani, quod recitat Diony. lib. VII. & quorum Plutarcus in Antonio. At his reſpondeo, non ita eſſe: & ex iam dictis apparet: & hîc dico, Darium, qui vſus Zopiro eſt, Tarquinium, qui Sexto filio, non alios me, qui alijs huiuſmodi ſimulatis transfugijs, lætæ iuſtitiæ bellicæ accuſare. egregiam iſtam calliditatem, & ab omni reprehenſione procul remotam aio cum Valerio lib. VII. c. IV. atq; illa

Zopirus, & tranſſugia.

illa mihi ratio ſit, quòd integrum, quã-tum poteſt, adſeruari ius debeat de alienis hominibus non corrumpendis, intercipiendis, ſubducendis. & ita proſpectum illi integritati eſt non mediocriter, ſi ſciatur, decipi transfugarum receptatores a transfugis poſſe. Sic aleatorum ſuſceptores ſpoliati, verberati, alijs damnis affecti, vel ab ipſis luſoribus, actionem non habent vi bonorũ raptorum, iniuriarum, aliam: vt eſt in edicto de aleatoribus. ſic poſſeſſor alieni ſerui iniuſtus non conquæritur detrimenta ſibi a ſeruo importata: quod de Iuſtiniano cognoſces in l. pe. C. de fur. & notanda eiuſdem definitio eſt in lege præcedenti, quod corrupti ſerui actione, item & furti tenetur is, qui alieno ſeruo fugam ſuaſit, & furtum; etſi ſeruus domino id ſignificauit, eoque concedente vtrumque peregit: cum tamen neque ſeruus corruptus ſit, neque furtum eſſe queat volente domino. ſed tenetur tamen, ne ex huiuſmodi

di impunitate & in alium ſeruum, qui poſsit corrumpi, hoc facere pertentet. Quod ſi in quæſtione noſtra de transfugis ſuſceptio tantùm ſæpe ſit, non etiam corruptio; illud tamen manet, ſuſceptorem fugitiuorum hunc eſſe, qui vel domino volente fugitiuum habet: & implicari his malis meritò, quæ proſcripta ſuſceptoribus ſunt. Sed eſt & corruptor, profectò eſt, qui apertum ad ſe aditum his habet. itaque & ius aſyli ſublatum eſt: vt per Suet. in Tyb. Alciat. libro vii. ne quid dicam Nou. xvii. xxxvii. & cxvii. quæ aliquid de eo iure retinuerunt. Ecce igitur & bellicos hîc dolos admitto. Notes tamen, quod hi transfugæ, ſi cognoſcantur, beneficio iuris gentium non fruuntur: quia ſub poteſtate ſe faciunt eius, ad quem transfugiunt. Et de ipſis ſanè his tranſfugis nihil dico. Lucanos quoſdam iuuenes, qui idem, quod Zopirus egerunt, claros magis, quàm honeſtos dicit Liuius lib. VIII. Ita nec ſpeculatores

res tractari vt hoſtes ſolent ; ſed grauiùs. Iam & contra nego iuſtum, vt ſub ſpecie legationis quid in hoſtem moliamur mali : quod alibi exſecuti ſumus. neque verò receptus contrarius mos dicetur, quẽ haud ſine pudore faterentur, qui vtuntur : vt ſcilicet fatentur, adeóque iactitant ſe omnes, qui transfugijs quid peregerunt, alijſq; ſimilibus machinationibus. Quare adſtruamus licet regulam, vt is demum bonus, iuſtusq; dolus cenſeatur, quem probant homines, non modò vſurpant. ius enim eſt, quod omnibus laudatur : certè citra iniuriam eo vtimur, quia in hoc penitus conſenſiſſe videmur. ſi vſurpent ſolùm, & pudeat ; ius eſſe non poteſt : certè vti eo abſque iniuſtitia non poſſumus, quando noſtra id improbat conſcientia, ſententia aliorum. Hæc videlicet eſt iurisgentium firmitas, vt licet quid facias aduerſus illud : aut pudore correptus ſuppreſſũ velis, aut ſi eò proceſſeris impudentiæ,

Regula.

vt

vt fatearis, defendaſque; ſentias tamen, idem quod de axiomatis traditur, & temet intra, defendi factum non poſſe. quis fatebitur, ſummiſſu latronis ſublatum principem a ſe hoſtium? quis fatebitur ſecurus? Et itaque ſatis de dolo commentatum. ſequitur, vt de his videamus, quæ recto iure defenduntur. Et ea tum in vi, tum etiam in conuentionibus ſunt, quæ cum hoſtibus intercedunt. De his verò conuentionibus primùm exponamus. Publicæ ab Vlpiano cenſentur, & ita definiuntur, vt ſint, quæ per pacem fiunt quotiens inter duces belli quædam paciſcuntur. c. V. tit. Dig. de pact. *Per pacem*. hoc eſt per inducias, vt Ræuardus exponit lib. I V. amb. c. I. quia inducia pax, vt Varro, & alij definierunt. Sed ita neque cohærent verba ſequentia, neque plena eſt eius conuentionis definitio. igitur *publica conuentio eſt, quæ fit per pacem:* hoc eſt vel per pacionem, quod verbum antiquum pactio eſt: vel quòd pacem

De pactis.

Græco more dixerit, quia non vi, ſed conuentione hæc fiat. quam ſignificationem notauit Plutarchus in Numa, & innuit idem I.C. c.I. eiuſdem tituli. Sequitur verò, *quotiens inter duces belli quædã paciſcuntur.* dixerunt ſcilicet veteres *paciſco*, & id genus reliqua, quæ Nonius, & alij recitant. Duces autem intelligas ſummos : nam horumq; ductus, & ducatus dicitur. eſt tamen & hîc modus aliquis, quem ſoluere oportet. ait lex, *duces belli.* non igiur duces equitum, aut peditum, aut alij, qui aliunde nomen gerunt. rectè. ſed ſummi duces an non belli duces? aut qui belli duces? ſi ſummi : quid Samnitibus, Corſis, Numantinis pacta eorum non ſeruantur, quorum ductu, & auſpicijs bellabatur? nempe quia non eam poteſtatem duces Romani habuerunt, quæ ad pactiones eas pertineret. verumqúe eſt, quod lex ait, vt qui cum alio contrahit, vel ſit, vel debeat eſſe non ignarus condicionis eius. alienam autem negligentiam

Duces paciſcuntur.

ligentiam vitio verti, aut damno nobis esse non debere, & iuris vniuersa prudentia, & omnis ratio probat. Publica igitur fides ducum, quà ipsis tributum auctoritatis est, quaúe liberæ ipsi principes paciscentes auctoritatis sunt. Et hoc in eo, quod finem quoque bellorũ respiciat, quodqúe in Samnitica, Corsica, Numantina conuentione fuit. quibus enim bellum mandatum est, hi, quod ad pacem spectet, non deliberabunt, vt de legato bellico docui lib. I. de legatio. c. V I. atque ita si quid immo tale deliberent, vel pœnas mox dabunt, vt Postumius, Clodius, Hostilius dederunt: & Liuius scribit lib. X. Maximus lib. V I. c. I I I. noster etiam Pomponius c. vlt. tit. Dig. de legatio. vel certè deliberant frustra, nec quidquam conficiunt, nisi & ratum habeatur ab eo, qui bellum mandauit. idqúe verum est, quantacunq; demum potestas amplissimis verbis tributa duci videatur. vt benè notat, ostenditqúe Bo. De quibus paciscũtur.

dinus lib. III. de rep. c. II. Sed is in eo fallitur, quod huiuſmodi viris obligentur, qui ius habent ſe obligandi, & ipſorum tamen principes obligati ante ratihabitionem non ſint. immo enim nec illi obligantur: vt ſit æqualitas. quod diſertè Decius conſ. DXXXI. Quod verò bellicum prorſus eſt, in eo ſi duci hoſtium ſummo fidem tribuimus, non peccabimus. & fides violata publica cenſebitur, ſi quo huiuſmodi prætextu auctoritatis nobis non obſeruatur. ecce, quid ſi pactas inducias dux hoſtiũ non ſeruaret, quia id ſibi datum negaret, vt paciſci inducias poſſet? quid ſi is neget, qui ducem dedit, quiq; nunc contra inducias faciat? At datũ hoc ducibus omnibus. nec quiſquam eo cõmento inducias rectè irruperit. Ergo qui moribus receptis ſe præbet, ipſe nõ peccauerit: credit enim probabiliter paciſcẽti. vt in ſimili reſpondit Decius con. DCV. ſuperioribus. Is ergo peccauerit, qui in mandatis diuerſum quod habet,

De inducijs.

habet, non prodit. immo & qui id in mandatis dedit, quod contra omnem belli consuetudinem reperitur: quasi scilicet decipulas sibi aduersùs hostem cõparare voluerit. quod non licet contra ius constitutũ. Immo & duces inferiores, primoribus absentibus, quædam tenore perpetuæ cõsuetudinis solent, possunt, & in illis fidem publicã obstringunt. & exemplũ est in hoc ipso casu induciarũ: quas præsidij alicuius præfectus ad cęsos sepeliendos paciscatur. numquid sũmus dux faciet pactionẽ nihili: & intentos hostes sepulturæ suorũ cædet? at legẽ faciunt, quæ recepta sunt: & legitimè agunt, qui secundùm ea agunt: itaq; nec decipiuntur iustè. Nec mouet quod præfectus de se tantùm pollicitus videatur: quãdo nec potest duci legẽ imponere. quia vt ipse dux in his, quæ ad bellum spectant, legẽ principi suo imponit: ita præfectus in his, quæ spectant ad partem sibi mãdatam, legẽ duci præscribet. & institor

Præfecti paciscuntur.

dominum obligat, etiam in ſequellis. c. V. D. de inſt. act. atque hoc ſequella eſt, inducias paciſci tales. Et de inducijs quidem in iſtam cauſſam pactis non Accurſius, & Bartolus ſoli, verùm & alij omnes hoc tradunt ad caput illud quinctum Digeſtorum de pactis, qui de inducijs generaliter idem cum duobus illis non definiunt. Loquũtur porrò de ſummis ducibus : ſed eadem ratio vincit & in inferioribus, vt ego expoſui. Et verò tenere hanc diſtinctionem oportet, vt paciſci inducias dux quiſque poſsit ad ea, quæ ducatui cohærent ſuo, non ad alia. ea ſiquidem ducibus data videntur omnia, ſine quibus tractari bellum non contingit. vt de data iuriſdictione Paulus, & Iauolenus ſcribunt. c. vlt. tit. pen. lib. I. Dig. & c. II tit. I. lib. II. & ibi melioribus rationibus definitur, id verum, vel ſi maiora, vel ſi diuerſi ſpeciei ea ſint, quæ data præterea adfirmamus. Quod ſi verò inducię non de his forent, quæ

ducatui

ducatui cohærent: tum neque ſummi duces inducias paciſcentur. dic de pactis in tempus longiſsimum, in annos centum: quales cum populo Cerite pepegiſſe Romanos, memorat Liuius lib. II. qualeſq; pangi loco pacis conſueuerunt. nec enim ita firma pax creditur, vt inducię iſtæ creduntur. itaque ſunt, qui nobis etiamnum ſeruandas inducias reſponderunt, quas hoſtis non ſeruauit: etſi de pace contrarium adſtruant. quorum tamen opinio probè refutata a Decio eſt eo conſ. DXXXI. Accuratè. Nec ſanè in longis inducijs obtinere poteſt, quæ nec inducię dici penitus valent: ſi inducię pactum, ne in diem certum, aut etiam horas pugnetur; non etiam ne in annos, & ſecula. qua de re Gell. lib. I. c. XXV. Dona. in Eun. ac. I. ſcæ. I. & iurisconſultus c. XIX. tit. Dig. de capt. Finem bello aliquem faciunt huiuſmodi inducię. ergo eas dux non paſcitur. Huc autem & illud ſpectat, quod noſtrates docent, ne

De inducijs in tempus longiſsimum.

ne is, qui litem procurare datus eſt, poſſit diem ſolutionis longiorem reo indulgere: itaq; nec paciſci, vt lis in tempus aliquod quaſi iaceat. poteſt is tamen, & debet ſolitas dilationes admittere. quæ diſtinctionem de inducijs dictam confirmant. Pactas verò inducias violare, quin ſummum ſit ſcelus, probus nullus non dicit, nullus non cenſet. Sed ſi violatæ ſint, illud & quæri & controuerti ſæpe ſolet. Atque in quæſtione iſta, ita vt in reliquis conuentionibus omnibus, videndum eſt, quid pactis comprehenſum eſt: & ſi quid contra conuenta patratum eſt. bonæ tamen fidei cum iſtæ cõuentiones ſint, ipſis comprehenſa non ea tantùm exiſtimabimus, quæ verbis expreſſa ſunt, ſed & alia, quæ æquitas, & boni viri arbitrium intelligere præterea, & introducere in contractibus his conſueuit. quorum latiſsimus tractatus eſt, neque huc accerſendus. Ne verò in parte iſta muti fuiſſe videamur,

De pactis violatis.

age

age vnam, atque alteram ſpeciem exponamus. Si nobiſcum ſit hoſtis, & vltra condictum induciarum tempus per caſum fortuitum detineatur, ei ego ius adhuc tribuendum cenſeo induciarũ: tantum abeſt, vt probem Bartolum, qui, interfici illum poſſe, ſcribit ad L. Cæſar. D. de publica. neque enim is violauit inducias, per quem non ſtetit, quominus ex conuentu abiret. & ita definit ea lex: quam Bartolus non putat huic ſpeciei aptam, quia nec inducias cenſeri ex natura contractuum bonæ fidei putat. in quo fallitur. Idem nec verè docet, pactum de perſonis nõ lędendis initum non violari, ſi prædæ abigantur, res lædantur: nam præter quàm quod bella plęraque omnia ob raptas res; ſatis & rebus in propoſito cautum videtur, ſine quibus nec perſonæ ſunt. quod ſi de vi tantùm conuentum eſt, minus dubium eſt, violari cõuentionem deprædatione: quoniam vis & in res eſt: & verecundiæ id ma-

Caſus.

Alius.

gis conuenit; vt notat ex D. Marci decreto Calliſtratus.c. VII. D. ad leg.Iu.
Alius. de vi priu. Sed quid ea in ſpecie, quam recitat Guicciardinus lib. XII? captus ab hoſtibus dimittitur Balioneus, vt qui ab huius parte captus detinebatur, reſtitueretur. ſed mortuum reperit.negat tamen ſe rediturum; nec ſanè redijt. ius (vt reor) violauit: hæc enim dimiſsio ob cauſſam, qua non ſecuta, repetitio eſt. l. vlt. D. de cond. ob ca. ſi permutatio foret, contra eſſet. l. naturalis. D. de præſ. ver. idem & ſi foret emptio. Inſt. de empt. & ratio differentiæ eſt, quam expono lib. III. lectio. & hoc ius ſtrictum. putem tamen, retineri rectiùs, quod definitur in d. l. vlt. vt tertia commentatione latiùs dico. Ergo malè prorſus Balioneus. & malè in caſu ſimili ſenatus Romanus, cum Demetrium pro alio obſidem dimittendum non cenſuit eo mortuo, pro quo obſes. quod recitat Appia. de be. Syr. nam obligatio principalis cum perſo-

na

na extincta est; vt extincta sit etiam accessoria obsidis. nisi tamen pro Romanis quis dixerit, obligationem regis eo mortuo non extingui; adeoque nec extinctam principalē in casu spradicto; vt nec Demetrij. Et hoc sanè verius puto: vt proxima docebit commentatio.

Sed num violabuntur inducię, si furta priuati faciunt? si quid admittunt aliud, quod factum, admissum a publico si sit, inducias haud dubiè violaret? certè non violabuntur. neque enim priuati nocent vniuersitati. Dec. cons. DCLXVII. & hinc raptorum repetitio, id genus alia. hinc Romanorum petitio, si Annibal publico consilio Saguntum oppugnabat. Itaque non rectè Agrippa rex. lib. II. de be. Iu. c. XVI apud Iosep. est Partho cura tuendæ cum Romanis amicitiæ, & arbitrabitur fœdus esse temeratum, si quis de his, qui subiecti sunt eius imperio, aduersùm Romanos in bello procedat. Sed an violabūtur saltem, si socij nostri violent; ita vt

Si priuati violent inducias.

Si socij violant.

nos etiam violatarum induciarum rei ſimus? Thebani vtique prætendebant, pace a Lacædemonijs violata, eiuſdem affines culpæ omnes, quibus communi fœdere cautum fuiſſet. vt Pauſania ſcribit libro IX. Et ego ſic opinor, quia indiuiduum quid deductum in pactionem induciarum dicetur, puta ceſſationem a pugna. Ergo omnes in pactionem commiſiſſe videntur; quòd niſi in ſolidum peccari non potuit. quæ Catonis traditio eſt, & legitur c. IV. D. de ve. oblig. Quamquam cum ſint ſocij corpus vnum. l. IV. D. fin. reg. & citra eam Catonis diſtinctionem, idem reſpondendum erit. idq; alio etiam nomine, ne improbitati latebra quæratur. atque, ſupra quod de Iuſtino retuli contra hos ipſos ſemper improbos Lacædemonios, exemplum hîc ſiet. Et verò quòd ab vna ſociorum parte violari in ſolidum inducias tradimus, num & ſi violentur in vno capite, violatæ in omnibus cenſebuntur?

Si in vno capite violantur.

Diſtin-

Distingunt nostri, vt si iuncta capita sint, violata omnia sint vno violato: aliàs secus: nisi generalis aliqua clausula subijciatur, qua etiam disiuncta coniungantur. quæ cum de alijs, tum de pluribus Decij responsis cognosces. atque hic idem ait, in ambiguo iuncta capita censenda, & alterum alterius respectu conuentum. cons. CCLXV. In instrumento. Itaque iure nos in reliquis faciemus inducias nihili. aut si pactam fortè pœnam malumus; hanc petemus integram. neque enim vtrunque possumus, & inducias nostro etiam facto profligare, & pœnam petere. vt idem benè respondet cons. CCCLXXX. Reliquos casus singulares, quibus contra inducias fiat, immensum persequi. illum tamen non fileo, quem Commineus ponit libro I. vt si propiùs ad hostes accedatur, induciæ pactæ lædantur. cuius ea potest ratio esse, quia aliquid mali propter vicinum malum: quod induciarum

Alij casus.

tempore nefas hoſtibus admouere. Et idem videri valet in contraria ſpecie, ſi ab hoſte longiùs abſcedatur: quia nec ſubtrahi hoſti quidquam debet. Ergo peccauerit Philippus, qui petitis inducijs ad cæſos ſepeliendos, ſe recepit ab imminenti periculo in tutiora loca. Et, inducias non debere fugitiuis prodeſſe, ſcripſit Baldus ad tit. de tre. & pa. & cum alijs notat Iaſon ad c. II. D. de iuriſd. Conſpirat autem eodèm quaſi, quod ait Paulus c. XIX. D. de capt. induciarum tempore poſtliminium non eſſe. Atque de his hactenus. Reſtat pars de vi. Et vis vel in res eſt, vel in perſonas. audiamus verò illa Polybij lib. V. ſæuire quidem in hoſtes, & eorum caſtella, hortos, vrbes, villas, naues, fructus deuaſtare, aliaq; his ſimilia facere, per quæ hoſtium vires debilitentur, cõfirmentur ſuæ, iura belli permittunt. ea verò deſtruere, quæ nec proprijs rebus emolumenti aliquid afferunt, nec hoſtibus detrimenti, vt ſunt templa, porticus,

De vi, & fæuitia.

porticus, ſtatuæ, aliaq; huiuſmodi, rabioſi hominis, ac planè furentis. neque enim ad internecionem vſque pugnare cum hoſtibus, bonum virum decet, ſed quoad eorũ, qui deliquerũt, malefacta, purgata ſint, atque correcta. Hæc Polybius, etſi ab hoſtibus paſsi paria eſſemus: adeoqúe nunc malum malo reddere videremur. quæ & Florus notauit lib. II. In hoc tamen exceſſu difficultas aliqua eſſe poteſt: quia & malum pro malo reddere iuſtum, & laudabile dicit Ariſtoteles libro I. Rh. & multi rationem illam ſecuti non ſunt. non barbari: quod Herodotus in Terpſicore, & Vrania. non Græci: quod ſupradicti habent. non Romani, qui bello captos virgis cædunt, & ſecuri percutiunt, quòd ſui ab hoſtibus capti immolatiqúe eſſent. Liu. lib. VII. canes etiam interficere ſolebant. Poly. lib. X. Vopiſ. in Aurelia. Non exempla deſunt. in hanc tamen partem moueor ratione magis: quia & damnum eſt

De ruinis.

hoſti

hoſti in ruinis ornamentorum, paratorum multo ſumptu, reparandorum nõ minori. Eccur hæc illi non fiant, qui paria miſeriarum, & dolorum nobis ſpectacula primus dedit? Ecquid ei templa ſeruentur, qui, templa ſe pendere nihil, oſtendit? ecquid crudeliſſimis hoſtibus facinora illa immania ſine talionis timore relinquimus; itaque & ad ea quaſi ipſos inuitamus? Iura belli nõ ſeruanti nec ſeruentur quidem. E diuerſo autem nec in eo probandus videtur Polybius, quòd fructus deuaſtari ſinit. nam lege Dei frugiferæ cędi arbores interdicuntur, Deuteronomij XX. & pulcrè Ioſephi lib. V. antiq. c. vlt. & lib. II. con. App. Putem tamen, Iudęis legem ſcriptam, qui, promiſsis mox regionibus potituri, ſua hæc, non aliena, vaſtaſſent. ita ſcilicet Lacedemonij quoque neq; villas Meſſeniorum demoliebantur, nec arbores ſuccidebant, ſed tantùm agebant prædas, quia iam ſuum eſſe illum

De frugibus.

agrum

agrum cenſebant: vt ait Pauſania libro IV. ita & Crœſus, tuam, Cyre, vrbem diripiunt, ait, captis Sardibus, cum victor eam direptionē Cyrus victo Crœſo oſtenderet: vt retulit Herodotus in Clione. Quod ſi illa Dei lex generalis, & perpetua eſt; vt Ioſephiq; rationes ſignificant: mihi id vnum relinquitur ad dicendum, vt qui contra aget, videat ipſe, Deo cauſſam adprobare, quæ improbari hoſtibus non poteſt: quando omnes omnium temporum hiſtoriæ in hoc ſunt, vt iure iſta peregantur, quę Polybius memorauit. nunc peragantur & ſi bellici rigorem iuris ſectamur: nam vt inquit Dyoni. libro IV. more quodam antiquo, & ciuiliter iſta non fiunt: nec bello illo Latino facta ſunt. Et ita ſanè Ioſephus, mitiſsimè illud ſancitum Iudæis, ait. Tantum de vi bellica in res hoſtium. quæ verò perſonis infertur, ea adhuc habet maiorem varietatē: fortè etiam de armis aliquā ſuſcipiet quæſtionem. Ecce etenim a

De armis.

principio pugnis (vnde & pugnæ nomen) calcibus, morſibus, corporumq; colluctatione certabant. mox lapidibus (quos nemo in legitimis armis bellorum nunc numerat, vt ait Tertull. lib. IV. adu. Mar.) ſudibus, & his poſtea præuſtis, atque ſagittis: quæ & Indorum arma noſtro ſęculo. tandem æs, poſtea ferrum repertum, & mille armorum, & tormentorum genera adinuenta, duellica pecudum proles excitata, immanes beſtiæ armatæ, apri, canes in aciem inducti, vt bellum nec a belluis minus, quàm a duellibus hominibus habere aut rei, aut nominis videatur. hæc tamen omnia armis huius æui collata, ſcloppis, bombardis, tot incendiorum generibus, quęſo non frigent, & puerilia ſunt? Num igitur veteres nullum nobis ius bellicum conſtitueruut, & quæ hactenus commentati ſumus omnia in controuerſiam reuocabuntur, fortè etiam cadent nixa multùm veterum actionum fundamen-

damento? aut recentia hæc, quæ nullã ab antiquitate auctoritatem capiunt, quæ erunt? Sed vt alia, atque alia excogitentur, quibus magis magisq; terribiles hoſtibus ſimus, ac noceamus, ex ratione bellici iuris eſt, quo nocere eis, datum eſt: ita variatio illa non in iure erit, ſed in induſtria, quæ non facit ius antiquum minus. ratio ſcilicet tẽpore non finitur: at neque loco, quod dixit doctè Baldus. itaq; quòd his nouis armis vſi primùm certis in locis ſimus, non fit propterea, vt alibi vti non liceat. quæ ratio & tempori apta. Quãquam genera armorum, & telorum noſtra habeant & ab antiquate auctoritatem, & a ſententijs ſapientum illius ſæculi, fuerunt ſcilicet eodem genere alia. memineris vnius, quod narrat Ioſephus, tormenti, quo emiſſus lapis caput non auellit modò, ſed & auulſum ad tertium ſtadium excutit. c. IX. libro III. de be. Iud. Et igne pugnatum ad claſſem Græcorum, Æneæ, alibi ſæpe.

Sed neque quod ille dixerit, perijſſe virtutem vehementi telo quodam inuento; & ſcripſerit Liuius lib. xxxv. rectũ, ac iuſtum prœlium eſſe, vbi vera vinceret virtus: propterea defenſionem noſtrorum, immo etiam antiquorum relinquo. immo enim virtus non ab armis, ſed ab animis eſt: & non arma ſunt, quæ pugnant, ſed viri. quod de magnis Antonij nauibus Auguſtus dixit apud Dionem lib. L. & nunc viderunt omnes in magnis Hiſpanorum fugatis a minoribus Anglicanis. Quod ſi virtus ab animis eſt, virtuti arma hæc noſtra magis adeſſe videntur, quæ robuſtiorum vires viribus imbecilliorum æquant veriùs, quam quòd generaliter de ferro extulit Xenophon libro VII. Cyrop. Ergo & hîc vera virtus & prœlium iuſtum. quod Liuius de eo dixerit rectè, quod non dolis, non inſidijs pugnatum eſt. neque id, quoniam iuſtum aliud non ſit, ſed quia hoc expleat pleniùs naturam

Iuſtum prœlium.

turam belli, quod contentio armata eſt. idem videlicet, quod Modeſtinus de teſtamento ſcripſit, iuſtam eſſe voluntatis noſtræ ſententiam. c. I. D. de teſta. cum & donatio, & legatum, & fideicommiſſum, & alia ſint ſententiæ iuſtæ. Verùm Liuius & rectum dicit, quod vtique in obliquis artibus, & ſtratagematis non eſt. Quæ omnia, vt aliàs in tanto gentium conſenſu nõ neceſſaria, dicta mihi huic fini, ne ſi qua vſurpata paſsim videamus, id propter excipienda ilico proponamus. neque enim ſic gentium ius conſtituimus, vt quod omnes agunt, nemine prorſus excepto, id ius gentium ſit, ſed quod ratio naturalis euincit. finge probatum omnibus gentibus homicidium. an ius propterea gentium? Ceterùm neque contingere quicquam huiuſmodi poteſt, nec vnquam contigit. itaq; & ius eſt gentium nõ modò quod naturalis ratio inducit, ſed & quod ſuſceptum omnibus videmus: quia

Ius gentium.

hoc ipſo conſtat, naturali ratione introductum. Ita iuris auctores, ita Iuſtinianus. qui loquuntur aliter, inſaniunt ſuauiter. Sed iam tandem, quæ pollicitiſumus, de vi in perſonas propiùs attingamus. Offerunt ſe nobis cæſa corpora, capta, imbellia, peregrina, de quibus iura dicamus. Lyſandro (inquit Pauſania lib. IX.) dedecori magno fuit, quòd cæſos hoſtes terra condi paſſus non eſt. & Pauſania nec vt reponderet paria ſuſtinuit inſepultos iacere hoſtes, quia ſæuire in mortuos, barbaros decere, exiſtimauit. quod in Calliope Herodoti. atque rectè Pompeius inimicitiam Mitridatis, hoc extincto, extinctam cenſet, Dionis libro XXXVII. Et ita hoſtium ſepulturam hoſtibus quoque curandam, & piam curam notat Pauſania lib. I. immo etiam neceſſariam tradit Ioſephus libro IV. antiq. c. VI. & lib. V. c. II. aitque naturæ aliàs violari ius, & ipſam pollui diuinitatem: & pœnam præterea

Hoſtes humandi.

vltra

vltra omnem exigi rationem. an ſunt enim iſti quaſi famoſi latrones, de quibus non ſepeliendis lex eſt ? at iſti ius tractãt. quibus non denegabitur, quod vel alijs punitorum cadaueribus lege datur. At hæc explorata, nec Virgilio, nec Taſſo indicta: Homero in perſona iracundi ſignificata ſatis, quæ in perſona iuſti viri non probauerit. & ecce Creon tibi ore traductus omnium, & bello victus a Theſeo iſtam ob immanitatem. Sequitur de captiuis. in quibus & obſides pono. nam vt hoſtium potitus facere teſtamentum non poteſt. c. X. D. de teſt. mil. ita nec obſes poteſt. c. XI. D. qui te. fa. po. & obſidum bona ſicut captiuorum omnimodo in fiſcum coguntur. c. xxxi. D. de iu. fi. quare Parthi rectè, obſidatum aliud nihil, quàm ſeruitutem eſſe, dicunt Ioſephi lib. XVIII. c. IV. immo ſeruitutum grauiſsima eſt, quando aliorum ob peccata interfici obſides poſſunt; & pluries interfecti ſunt: Aurunci,

De obſidibus.

runci, Volſci. Liu. lib. II. Diony. libro VI. Angli. Bod. lib. I. de rep. c. X. atrox tamen viſa ſententia, vt aitq; Commineus lib. II. vnde & parſum ſæpe eis eſt, Quod ſi ipſi peccarent obſides, puta fugerent, atrox nō foret ſententia, quæ eos damnaret. ſic Tarentini virgis cæſi, & de ſaxo deiecti. Liu. lib. xxv. Sed mihi vtrumque ius ſanctiſsimum videtur, quo fides rerum precioſiſsima adſeritur, & vindicatur. Atque non is vnus caſus, quo alius pro alio plectitur, ſed plures. & cum veriſimile eſt, quem non peccaturum, ſi puniendos ſuos exiſtimet, probat punitionem Decius conſ. LXIV. Et ſi præterea iniquum quid in iſta ſententia foret, quod non eſt, quia obſides ita venerunt; meminiſſe tamen debemus, habere aliquid ex iniquo omne magnum exemplū, quod contra ſingulos vtilitate publica repēdatur. nam & ex fuſo exercitu cum decimus quiſque fuſte feritur etiam ſtrenui ſortiuntur. & cum domino interfecto

fecto ſerui omnes afficiuntur ſupplicio inſontes certè pereunt multi. quæ apud Tacitum exponuntur lib. XIII. & XIV. Prætereo plura; non tamen illud, quod habet Thucidides lib. IV. necatos omnes captiuos Corcyrenſes ab Athenienſibus, quia quidam aufugere tentaſſent, & eſſet prædictum, vt ſi vnus aufugeret, ſoluta pro omnibus fides eſſet. rectè. & ſunt ſcilicet duo rei; & inuicem obſides, ac fideiuſſores. Ea verò erat Romanorum religio; ea erat fiducia, quòd nihil tale ſuis obſidibus futurũ exiſtimarent: aut ſi foret, vt Cloeliæ fuit, vindicationem depręcaturi nõ eſſent. Hæc de obſidibus. age, dic de captiuis. Captiuus, vt hoc primùm exponam, non ante dicitur, quàm ſe dedat. ſcilicet Ennius ait, *Qui vicit, non eſt victor, niſi victus fatetur*. immo necdum intra præſidia ducto iura captiuitatis non tribui reſponſum eſt: et, vt puto, benè; quia antequam eò perducatur, ciuis manet. auctore Pomponio

De captiuis.

c. V. de capt. vt captiuus esse nõ possit. Et est demõstratio. Itaq; malè Alciatus definit contra, quàm est responsum ab alijs, in l. CCXXXIX. D. de ve. si. Hi tamen casum vrgent solum, si periculum sit, ne euadat. in quo ego non simpliciter quid affirmarim, sed illud ex xii inducerem primò, *Si caluitur, pedemúe struit, manum endoiacito*, & cędito. Secundò, ne vmquam liceat interficere, si pactus pretium redemptionis sit. atque hoc citiùs cum fieri possit, quàm cædes, mirum si ad cędem vmquam deueniat, qui paciſci velit. nam pretium hoc pactum vel priuato militi deberi, docet l. xxi. D. de neg. ges. quicquid Bartolus alibi existimarit. qui & aduersùs consuetudinem receptam loquitur: vt Fulgosiusq; admonuit: & nulla nititur proba ratione. Et verò si quis metum in specie hac nostra obtendat, ne fidem seruet, is & cõtra omnes historias loquetur, in quibus prætextus iste numquam prætensus: quod

recte

rectè docuit Bodinus, contra interpretum quorundam inſcitiam, lib. IV. c. VI. & rationem totius belli ſubuertet, quæ in vi eſt, & metu. Sic itaq; dimiſſus vel pactum pretium diſſoluet, vel in poteſtatem hoſtis redibit: vt per Dec. conſ. DCXI. In facto. vel, addas tu, obſides ſi dederit, hi luent. Ductus porrò intra præſidia tum captiuus, neque occidi poteſt. quod de Romanis, hoc eſt optimis iſtius iuris magiſtris, ſcribit Alexandrius libro IV. Gen. c. VII. quibus & Scotos adiungas, qui, maximum licet periculum imminebat, captiuos non trucidarunt. Bucc. lib. ix. Et ius iſtud Hermocrates ille Siracuſanus conteſtatur, Diodori libro xiii. atque eo in caſu cum capti hoſtes a ducibus Siracuſanorum eſſent, recepti in fidem Siracuſanis nondum eſſent. & ea poteſt ratio eſſe, quam Alciatus habet, quoniam ſæuire in acie ipſa liceat ſolùm. Ecquid verò carnifici, an militibus captiuos hos necandos trade-

mus? milites non accipient: iniuſtum autem ſubijcere carnifici eos, qui nullius culpæ rei ſunt. ipſe autem princeps, qui ducem belli dedit, vtique & dedit eidem communia belli iura, adeoq; ius capiendi: & hoc ſeruandi, non occidendi eſt. Atque vt horum nihil captiuos tueatur, ſed, niſi & pacti ſint de vita ſe dedendo, interfici mox poſsint per iuris rigorem: verum tamen eſt, non rigorem in præſentia ita ſectandum, quin & meminerimus eius magis, quod agi inter viros bonos ſolet. vt ille Franciſcus a Victoria ſcripſit priùs. Ergo capti, ducti intra præſidia ſerui ſunt. id eſt, ſub dominio capientium ſunt. quod tamen receptum inter eiuſdem religionis homines non videtur: Bodinus nec inter diuerſæ probat. Et rectiùs fortaſſe fieret, ſi inter omnes reciperetur: quando nec tam multi interficerentur, ſi ius captiuitatis apud omnes ſtaret. vt de Taciti libro II. hiſtor. & de Plutarco

Ius ſeruitutis iuſtũ.

cog-

cognoſces in Othone, qui in ciuilibus bellis cadere plures putant, quia capti capientium ſerui non fiant. Sed & vna fuit rationum Ariſtotelis ſeruitutem probantis. Ridiculè verò reuocat ille in controuerſiam, ſi hoc ius gentium ſit: de quo hactenus dubitauit nemo; & ſummi philoſophorum conteſtantur, Xenophon libro VII. Cyrop. Plato libro I. de legi. Ariſtoteles libro I. Polit. atque illa extorquet ratio, quia ſi interficere licet, magis licebit retinere ſeruos. Sua verò eius diſputatio tota, quod immo ius non ſit, etiam ſi omnes in illud conſenſiſſent, quia & in idololatriam conſenſerint omnes, nec tamen ea ius ſit, longè vaniſsima eſt: non enim in diuinis quicquam eſt homo; nec in iure conſtituendo ſe inter Deum & hominem, quod ſcilicet religio eſt, quicquam valet: at non ita in humanis, in iure humano conſtituendo. At quod non ſit ius gentium malè qui-

buſdam materiatis exemplis docet, immo dicit. quæ videlicet vt generaliter loquantur, non inter eiuſdem tantùm religionis homines, non tamen pauca contra multa valere debent: ſed vel vincent iſta, ius gentium eſſe; quia longè plurima, & optima. Et ex his igitur conſequitur, malè iudicatum in ſenatu Pariſienſi, vt legati Hiſpanici ſeruus in libertatem ilico deueniret, atq; Galliam attigiſſet: vbi ius hoc ſeruitutis ſublatum eſt. nam ius ciuile Galliæ nõ mutat contra ius gentium: quo legatus tenetur vno. Eſt ius ſerui faciendi, habendi. quod verò hoc, & quantum ſit, pleni ſunt libri iuris ciuilis. neque ea tractatio mouenda ilinc eſt: quia hoc noſtrum ius gentium eſt. Sed an dedentes ſe omnes, inqúe poteſtatem noſtram redactos, captiuos facere teneamur, nec occidere poſsimus? num captiuos facere omnes poſsimus? Hæc abſoluit quęſtio partem reliquam de perſonis. Supplices nec violandos, ſcripſi-

De ſupplicibus.

mus

mus lib. II. de legatio. c. V. & VI. & ait de Pythagora Diodorus lib. xi. & xii. deq; Græciæ ritu adſerit Thucidides lib. III. & Dei iram implacabilem in violatores ſupplicum credunt: vt apud Pauſaniam lib. III. & VII. Sed illi tales videntur, qui in templa confugerint. & ipſi quidem barbari, qui Romam funditus exciderunt, parcendum iſtis exiſtimarunt. Cæterùm deqúe omnibus idem iudicium eſt, qui ſe dederunt; vt Alciatus probè exiſtimauit. Illud vnum aduertendum, ne per hoc ius in periculum victores deducantur. item & ratio perſonarum habenda: quid enim atrociſsimis hoſtibus nunc ſupplicibus parcas? parces his, qui aliàs & miſericordia digni. quod rectè Gilippus Diod. lib. xiij. Sed neque iſtud ſtabit in armorum ardore, & feruore pugnæ. neque ſi ab hoſtibus ſeruatum videri minus poſsit: id, quod Virgilius duobus in locis expreſsit: & cum Magum, & cum Turnum ab Ænea interemptos

narrat

narrat ſupplices. cum etenim in cædendo Pallante contumelioſiſsimè ſe Turnus geſsiſſet, amariſsimè, ſæuiſsimè in patrem abſentem; iſta belli cõmercia (ſic lib. X.) æquiora ſuſtuliſſe viſus eſt meritò, Mago maximè, qui patrem obtendebat, itidem & ſibimet. quamquam Turno nec parcere Æneas poterat ſine religione, quæ erat, vt manibus ſuorum hoſtis mactaretur ſummus. & ita duces hoſtium Romani necare ſoliti: vt altera commentatione dicemus. Sed & illud hîc poni poteſt, quod Pallanta perempto cariſsimo, & meritiſsimo, parcere nec ſupplicibus Æneas debuit: ſic ſcilicet propter acceptam cladem & pueri, & in delubris cæſi. vt per Herod. libro III. & idem propter acceptum vulnus fieri ab Ageſilao potuiſſe, non factũ tamen, indicat Pauſania lib. III. Extra has cauſſas ſingulares non licet ſupplices interficere. Sed nec eos licet, qui capti bellica ratione non ſunt. ecce tibi & factum, & adſertio

Captivi diuina.

adſertio Heliſæi apud Ioſephum libro IX. c. III. propheta hoſtes virtute diuina captos tradit, nec ſinit agi in eos durum quid, ſed dimittit, quia (ait) nec capti bello. Ecquid ſi veneficijs, malis artibus caperentur? veneficia Romanis obiecta: Ioſephus quos tuetur in lib. de vi. ſu. venefici in captos ius non magis haberent, quàm latrones. & veneficis hoſtibus nullum belli ius eſt. quod Angli in Aureliana quadam ſat declararunt, quæ Gallos iuuiſſe ſuos prauis artibus credebatur. & ſanè receptum multis eſt, vt per has artes multa, & in bello fieri poſsint. quare nec poetæ a commemorando abſtinent. & libri ciuiles latè de ipſis conſtituunt. Porrò quid cum ætate infirmiori? eam non perdit Pauſania; aitque, pueros factionis participes non eſſe. Herod. lib. vlt. & legiſlator, quod affinitas crimen non admittit. l. XXII. C. de pœn. nos plura expoſuimus antea. addatur de Conſtantino imperatore, quod ea

De pueris.

ætas quid videat ignorat. l. I. C. de fa. mo. de Marcello I. C. quod in paruulis nulla deprehenditur culpa. l. pe. D. de fid. lib. de Vlpiano, quod affectu carent. l. I. D. ne vis fiat, &c. Sed hæc ſexcenta ſunt. Ferum igitur, quod Saul etiam de infantibus necandis pronunciat, Ioſephi lib. V. c. VIII. Deus verò, qui id iuſſerit aliquando, auctor vitæ & necis ſupra legem humanam longè iuſtiſsimus. quia vult, iuſtum: non vult, quia iuſtum. Plato in Euthyphrone, & Diogenes. ipſe non virtute probus, quia tunc ipſo melior virtus, ſed virtus ipſo virtus. Ariſtoteles lib. II. ma. mo. non ſcit quod eſt, quia eſt, ſed eſt, quia ſcit. Auerroes in præd. viæ meæ non ſunt viæ veſtræ, ait ipſe. & nos ius hominum tractamus, vias inſiſtimus; & ita de ætate illa infirmiori definimus: facturi aliud, ſi & nos iuſſerit Deus. Sed quid de fœminis? illa ætas infirmior, hic infirmior ſexus. nec Spartani Argos oppugnant, ne cum muli-

De fœminis.

mulieribus ad defendendum paratis pugnent, quas lædere inuidioſum, a quibus lædi ignominioſum. adi Pauſaniam libro II. Earum & honeſtatem attaminare, iniuſtum. vt enim contra naturam non ſit ſpoliare, quem eſt honeſtum necare: vt ait Cicero libro III. de offic. ſpoliare hoſtes his etiam vitæ ſocijs: non tamen has licet, fœda hac contumelia afficere; quod Baldus docuit ad l. vlt. C. ſi co. iu. vel vt. pu. Et quæ poteſt in libidine virtus eſſe? Et num Scipio, num Alexander tanti captiuarum cuſtodiã feciſſent, ſi iniuſtiſsimum nõ cenſuiſſent, pudorem earum tentari? Imprudenter itaque, vt multa, Bodinus ſcripſit, iura belli antiquiſsimis gentium omnium moribus prodita facinora hæc. immo enim nec ius, nec proditũ. Et prædonis ergo in propoſito vox ea apud Heliodorũ lib. I. Si imperij lege vtendum fuiſſet, prorſus mihi velle ſuffeciſſet. At dere aperta nimis multa. Quid iam de infirmiori profeſ- De agricolis & alijs inermibus.

profeſsione? Indis receptum, vt tuti agerent agricolæ. vt per Diodorum libro. III. & facit quod de frugiferis arboribus Ioſephus ſcripſit. Ceterùm diuerſus a Diodoro eſt Strabo libro XI. & nos aliter atq; Ioſephus cenſuimus. mitiùs tamen & cum his, & cum togatis agendum militibus, aliaq; infirmiori plebe, quàm cum armatis militibus, quis dubitarit? bellum eſt contentio armata. at quæ contentio, ſi vna tantùm pars armata? quam ſcilicet ad Marathonem, Oroſius ait lib. II. c. VIII. vt ex alia parte viri ad occidendum parati, ex alia pecudes ad moriendum præparatæ putarentur. In pugna pœnas dederunt, qui arma cœperunt: inſontibus non nocendum. Sic Ioſeph. libro XII. c. III. Adde verò his peregrinos, quos etiam facies ab omni immunes damno, non ſolùm a cæde tutos. nam peregrinus non eſt hoſtis. quod & Feſtus expoſuit: & illud docet, quòd nec apud hoſtes eſſe videtur,

De peregrinis.

tur, quia momenti cauſſa habitant. l. v.p. II. D. de iniur. & quod de repreſalijs tradunt interpretes : quæ contra delinquentes cum dentur, peregrini eis non affligentur. adi, vltra alios in locis communibus, Dec.conſ. CCCLII. Atque vera hæc videri definitio poteſt etiam in his, qui vel iura ciuitatis apud hoſtes ſint conſecuti : niſi etiam propriam deſeruerint patriam, & ſubditos ſe alteri conſtituerint. quæ nec tamen facilè facta videbuntur : atque ratio affertur non vna. videndus autem idē Decius conſ. CCLXXXII. CCCLVIII. CDLVII. & DL. Sed & conſ. DCLXI. vbi quod incola ſit quidem ſubditus, at non ciuis. & eſt ſubditus, quia nullus in alieno territorio nō ſubditus. ceterùm hæc ſubiectio non facit quem & in numero hoſtium eſſe. Vnū ergo proſpiciendum, ne tamquam ſocij, & qui hoſtibus ſint auxilio, pœnas & peregrini hi mereantur. item & illud, quòd de ardore pugnæ diximus :

nam delectus tum haberi personarum vix potest. at maneat tamen, quod Liberi patris thyrso admoneri Macrobius explicat libro I. Sat. c. XIX. vt, quantum in nobis est, belli impetus obligemus. ego verò hîc commentationem istam obligo.

ALBERICI GENTILIS

I. C. professoris regij

DE IVRE BELLI

Commentatio tertia.

LONDINI
apud Iohannem Wolfium.
1589.

ALBERICI
GENTILIS

ROB. DEVORAXIO ILL^mo COMITI ESSEXIO.

Albericus Gentilis S.P.

ABsolui tandem, quod constitui, & quasi pacto tibi spopondi, tractationẽ de iure belli: nam hæc tertia & postrema est scilicet commentatio. Ergo, quod restat vnum, id mihi rogandus es, nobilissime ESSEXI, vt quando ceu suspenso voto, quæ in te erat summa voluntatis meæ propẽsio, ipsam tibique sum hoc munere contestatus, tu eandem boni consulas, & me in tuis vnum esse non patiaris modò, sed etiam libentissimè velis. Nã & quod viros litteratos ames, foueásque, & literarũ quoque amatores, in quis ego, complectaris beneuolẽtia tua, id lux, & vita vna fortissimorum, crede mihi, gestorum tuorum est, quæ aliàs aut obscura degerent, aut cum opere ipso protinus expirarent. Macte vtraque virtute, Comes: & quando ardentem tuum istum animum nihil ab egregiè factorum amore retardat, age nec velis insignia iacere facinora tua, mortémue quasi parricida afferre his omnibus quæ ediderís excellentissima, dum litteris te nõ prabeas, vnde ea & alantur, & immortalitati consacrentur

ſacrentur. Nomino autem has præcipuè litteras tibi, quæ te decent præcipuè, vera ſtudia publicarum rerum: de quibus loquendum tibi, tibi tractandum eſt: & de quibus apparatus a me hic eiuſmodi factus eſt, vt ſi illum inſpexeris, illo te inſtruxeris tu, non dubitem fore, quin partem iuris gentium nobiliſsimã nec in his modò cognoſcas, quæ leges litteris ſcripta, & expreſſa verbis, ſed in reliquis omnibus, quæ ſunt plurima, & ſententijs, tamquam germina ſtirpibus, claudantur. Vale. Oxon. Kal. Sept. 1589.

ALBERICI GENTILIS

I.C. professoris regij

De iure belli cõmentatio

TERTIA.

HActenus de iure cum suscipiendi, tum agendi bellum exposuimus : vt vna restet commentatio, quæ ius doceat finiendi. Et quidem belli finis pax dictus omnibus: adeóque contendere ad illam bellando omnes debere, exploratissimum esse oportet. Pacem, ait Augustinus, habere debet voluntas, bellum necessitas: non enim pax quæritur, vt bellum excitetur, sed bellũ geritur, vt pax adquiratur. c. III. XXIII. q. I. et maximè bellaces hoc quoque appetũt, aut feri, insociabiles, monstra meritò censebuntur: quandoquidẽ nec vllumq; vitium ita contra naturam sit, vt naturæ etiam deleat extrema vestigia, quæ idẽ habet lib XIX. de Ciu. c. XII. Pax belli finis.

Hinc

Hinc verò inductus trophæorum mos materiæ non duraturæ: vt qui quidem bello vicisent, statuerẽt illud victoriæ in præsentia declarandæ causa, ceterùm via non præcluderetur redeundi in gratiam, dum alterius partis laus, alterius infamia consecrata longæuo aliquo monumento foret. & qui primi lapideum, et æneum statuerũt, hi vituperati, & accusati sunt. et laudati Macedones, laudati Romani, quibus mos nec vllum constituendi: laudatus Alexander, qui nec de Persis, aut Indis constituit. vt hæc leges apud Cic. lib. II. de Inuent. Plut. in probl. Paul. lib. IX. Flor. lib. III. Atque certa hæc prima definitio est. Pax autem à conditionum pactione appellatur, si Festo credimus, et Vlpiano in l. I. Dig. de pact. nam Isidorus contra, pactum à pace deduxit, & quasi ex pace factum interpretatur, atq; inter partes esse ex pace conuenientem scripturam legibus, ac moribus comprobatam. c. XI. de ver. si. Et itaque de omni conuentione dicitur

Pacis definitio.

pax

pax: ſed de bellica tamen prȩcipuè, eaq; quæ bello finem imponit, & de qua nobis hæc commmentatio erit. at ea quoq; pax apellatur, quã duces belli paciſcuntur. l. V. Dig. de pact. et vel maximè induciæ, vt ſignificat papa neſcio quis, qui ſcribit, Pax illa, quam treguam dicimus, &c. c. XXV. XXVI. q. III. & retulimus nos commentatione ſuperiore. Pax item generaliter concordia ordinata definitur ab eodem Auguſtino: & ordo recta rerũ diſtributio. quæ iuſtitiæ natura eſt: vt Simonides explicauit, de quo Ariſtoléſque lib. V. Eth. & Vlpianus c. X D. de iu. & iu. Nos verò in ſpecie argumentinoſtri pacem definiemus compoſitionem belli ordinatam. Et de hoc ordine, ſiue recta diſtributione dicemus, quod eam aut vnus facit victor, aut pars vtraque ſimul init. Et quod vtrobique cum præterita, tum etiam conſiderari futura conſueuerũt. id, quod totius ille pater ſapientiæ Homerus docuit, & Plutarchus in problematis obſeruauit. Præ-

Pax dupliciter conſtituitur.

terita vltionem reſpiciunt, futura pacis conſtitutæ firmitatem. Et verò quemadmodum traditum à noſtris eſt, non decere iudicem paci componendæ incumbere priùs, quàm punita delicta ſint: vt apud Baldum leges c.I. D. de no.op.nun. ita de vltione iuſta proſpiciendum fuerit ante: vt ſucciſis belli omnis quaſi radicibus pax certior haberi poſſit. Iniuſtum enim nec eſt, præteritorum iuſtam expetere, & exercere vindictam. & exercent eam perſonæ publicæ iuſtè, quæ bonóque animo omnia vindictæ officia implere poſſunt. id, quod iniuſtorum iuſtitia creditum in priuatis perſonis eſt, ſi hæ malum pro malo reddant: quæ ſcripta ſunt c.I.XXIII.q.III. & c.XVI.XXIII.q. V. et docuit antea Plato lib. I. de rep. dum cum Simonide iuſtũ ait, ſuum cuique reddere, & ſuum interpretatur quod cuique conſentaneum eſt, vt hoſtibus malum, amicis bonum. Et quidem omnium legem communem, hoſtem

Vltio iuſtè ſumi.

hoſtem multare licere, probè Platæenſes dicunt Thucid. lib. III. Nec ſanè hîc quiſquam diſceptat: ſed illud quærent omnes, quæ ea ſit vindicatio, quã opinari iuſtam poſsimus. Nam quidam reſpondent ſimpliciter iuſtum, quod vis armorum in impotentiores agit. Dio. lib. XLIX. aut quod eſt potentioribus vtile. Stra. lib. I. cum id genus alijs, quæ notaui ego, & improbaui diſput. II. quemadmodum & Plutarchus improbat Pindarum canentem, Hoſtem decet hoſtis perdere omnia: quoniam internecinum hoc bellum, & cõtra naturam foret: vt neque ipſe receperim iſtam contra barbaros crudelitatem: quicquid diuerſum ſcripſerit Platoq; in Menexeno, & Alexandro viſus eſt Ariſtoteles ſuadere. Sequar verò & Alexandri conſilium, & Strabonis, & Plutarchi iudiciũ potiùs, qui barbaros inter & Græcos tãto diſcrimine nõ diſtinguendũ probarunt: ſed quaſi rempublicam vnam

Iuſta vltio quæ.

Vltio in barbaros.

censentes orbem vniuersum, omnes homines populares municipesque, & veluti vnius armenti compascuo in agro compascentis corpus existimarent. Adi Stra. lib. I. Plut. lib. I. de for. Alex. Nec me de sententia istâ mouet, quod barbari ipsi contra nos tales sint, doctè enim idem Philosophus verbũ illud confutat, Improbos contra armat improbitas probè: & vlcisci iniustitiam, eamq; imitari iniustum ait. Nam etsi digni ipsi hac pernicie sunt maximè, at nos indigni qui inferamus tamen: vt alius quis diceret. Non is est victoriæ finis, sed pacis vtilitas. Quos expugnas, ad pacis vtilitatem vincendo perducas: inquit Augustinus. Admitto illud, vt duriùs agi cum barbaris possit iustè: & ita factitatum à Romanis scribit, & laudat Str. lib. IX. & Flo. lib. III. qui de Thracibus, Nec aliter cruentissimi hostium, quàm suis moribus domiti: quippe in captiuos igne, ferroq; sæuitum est. Hæc Virgilius insinuauit dum

ita

ita recinit lib. VI.

Tu regere imperio populos Romane memento
Hæ tibi erunt artes, pacíq; imponere morem,
Parcere subiectis & debellare superbos.

edidit scilicet præcepta in vniuersũ duo, parcendi vnum, debellandi alterum: & vtrumque regendi, ac imperandi ratione concluſit, adq; pacem, ſuum belli finem diſpoſuit. qui ſuperbi ſunt, hi ſunt & barbari, hi ſunt debellandi, cum his durè agendum eſt. at cum alijs ex æquo magis, quàm ex iure finienda bella, vt rectè ſcriptum Diony. lib. V. nam eſt aliás tota hæc tractatio noſtra de bono & æquo, vt ſunt reliquæ de conſuetudinibus quibuſq; gentiũ, & inſtiutis: quod noſtrates docuerunt, & receptam opinionem teſtatur Hotom. conſ. XV. Sed et ipſa ars noſtra ars eſt boni & æqui. l. I. Dig. de iu. & iu. Atq; quod ita ſe habet, in eo ſub auctoritate iuris ſcietiæ, ſtricti iuris, & rigoris, plerumq; penicioſè erratur: dicente Celſo adoleſcente, probante Paulo c. XCI. D. de ver. oblig. & ſequẽ-

dum propterea est æquitatem. ea est iu-
storum, et vtilium imminutio : vt ha-
betur in his definitionibus, quæ Platoni
adscribuntur. et itaque moderatio, et
modus est, hoc est, medium inter excess-
sum et defectum, quod sufficit: vt ibi-
dem definitur. Quæ autem communes
sunt pœnarum regulæ, eædem in modo
vltionis constituendo valebunt, vltra
quem nec liceat transilire: prima est, ne
meritum excedat vltio: quam pulchrè
ornat Leo const. LXI. LXII. LXVI. secũ-
da est, vt in quo peccatum, in eo et pu-
nitio fiat: quam tradit Iustinianus in
auth. omnes. C. com. de succ. Cicero lib.
III. de leg. et nos alibi recitauimus. tertia
est, vt vnos teneat peccati auctores: quã
Calliistratus adseruit L. XXVI. D. de
pœn. alijq; quos post paullo proferemus
Nocendi ergo cupiditas, vlciscendi cru-
delitas, impacatus, atq; implacabilis a-
nimus, libido dominandi aduersus re-
gulas istas sunt, & meritò culpari solent.
quod in bellis disertè c. IV. XXIV. q. I.

Regulæ vltio-
nis.

Hæc

Hæc ſunt, quæ bellum finitum nec finitum efficiunt. id quod Auguſtinus vituperat latè lib. V. de Ciu. c. XXVI. Et vix eſt, vt certius conſtitui aliud hîc queat, niſi ipſæ certæ ſpecies proponantur, de quibus reſpondeamus. quod immenſum proſequi, nec noſtræ eſt, nec artis alterius. quę tamen regulis illis contraria eſſe videntur, nec ſunt tamen: quæq; tractari ſæpiùs ſolent, ea diſpiciamus. Atq; cum vltionem victor vel in res hoſtium ſoleat, vel in perſonas exercere: de rebus dico priùs, & a mitioribus ad aſperiores ſpecies vltionum conſcendo. Sumptus belli victor recuperat iure, & damna, quæ paſſus eſt: ita Iuſtinus lib. XXXIII. ſtatutumq; à noſtratibus eſt in diſceptationibus fori contra actorem victum. vt apud Dec. conſ. CCXLXI. Scripſi. & conſ. CCCLX. Perſcrutatis. quibus ad rem aptior adiungatur ratio illa, quod priores in lędendo omnium culpam ſuſtinent: quam habet Polybius lib. IX. ſed & contra prouocatum, victúmq; i-

Sumptus belli luit victus.

dem ius maneat, quia passim receptum sit, eius causam victi iniustam, quamq; belli exitus damnauit. In tantum verò sumptus, damna, & interesse debentur, vt pax licet composita sit, neque illorum fit facta mentio, debeantur adhuc, atq; pręstanda sunt. quod & alij scripserunt, et Iason ad l.1.D.de pact. quinimmo ad priuata quod attinet, etsi remissa sint damna generaliter, & remissi sumptus, non ideo à priuatis ea non repetuntur. vt ijdem definierunt. id tamen negat verum esse Iohannes Bodinus lib. III. de rep. c. VIII. et dubitationem habet quęstio. nam pro pace componenda contra iuris regulas nõ vnum constitutum est: quia hoc est commodum maximum, à lite recedere. vt notatur ad L.II. C.de resc. vend. itaque quod dicitur aliàs, beneficium inuito non dari, hîc non obtinet: et ad pacem priuati homines cogi possunt. quod alij tradunt, et Chass. cat. gl. mu. par. V. consid. XXIV. et est in eo etiam singulare, vt necessitatis sit ius cõtrahendi

trahendi: contra certam regulam l. ſicut C. de oblig. et, ne plura congeram, hoc ipſum, de quo agimus, ſingularis iuris eſt, bona etiam priuatorum pacis cauſa dari a republica, aut principe poſſe, aduersùs generalem definitionem l. id, quod noſtrum. D. de reg. iu. et iſtud de pluribus rectè firmat Duarenus ad l. cõuentionum. D. de pact. has præterea dationes lata excipiendas interpretatione, docet Decius conſ. CCCLII. Viſo. et conſ. DCII. Viſo. Ceterùm ex cauſſa id probabili, & probata fieri debere, hic quoque vult: de qua vel cogitatum generali illa remiſsione, quis credat? Atque hic eſt nodus, ſi generali ſermone remiſſáque priuata cenſentur. Putem tandem remiſſa cenſeri: quandoquidem bellis compoſitis priuatorum iudicia nunquam, ſi memini, audita ſunt. et quæ in bello mala contingunt, ea ſunt nec priuatorum frequentia minus, quàm publici: itaque de illis non minus, quàm de iſtis tranſactũ exiſtimabitur. At ſi diuerſam

ſam interpretum traditionem ſequi placet, eam tu verā rectè cenſebis in his omnibus, quæ priuatis extra bellum debẽtur. & ita Decius conſ. LXI. ſed & quæ publico debentur extra cauſſam belli, ea debentur haud dubiè facta pace: quia non de his bellum, adeoque neque pax.

Tributa victor indicit.

Præter ſumptus, & reliqua ſupradicta, victor tributa, ſtipendia victis imponit iuſtè. et exteris victis imponere Romani ſoliti. App. lib. II. de be. ci. & Iuſtinianus noſter Zanis victis tributa indici iubet, vt ſe victos agnoſcerent. Agat. lib. IIII. & alterius etiam fuit in cenſu ratio legiſlatoris. c. II. de cenſ. cenſum illi ſeruitutẽ cenſebant apud Ioſep. lib. XVIII. ſed nec minor ſeruitus tributum, ſtipendium, vectigal: vt de Liuio & Cicerone indicaui lib. III. de legatio. c. XVIII. eſt vtrũq; certè victoriæ præmium, belli pœna. quod ait Cicero Verr. V. Agro item multare, ſolens Romanis. quod idem narrat Appianus lib. I. & Italiam extra conſtituere nec mancipi omnia

Agro multare victos.

Vlpia.

Vlpia. tit. XIX. quod est, non ita ea victis relinquere, vt non retinerent ipsi victores Romani dominium primum. vt verè expoſuit Franciſcus Balduinus in comm. ad leges XII. tab. Vt verò damnata eſt dominandi libido, & bella imperij cauſſa proferendi latrocinium grãde reputatum Auguſtino lib. IIII. de Ciu. c. VI. quæque olim occupatio bonorum licita erat, facta mox rerum diuiſione deſierit eſſe licita: belli tamen titulo queri non minus, quam alio quouis & agros, & res alias poſſe, indubitatum eſt. ſunt priuata (ait Cic. lib. I. de off.) nonnulla natura, ſed aut veteri occupatione, vt qui quondam in vacua venerunt: aut bello, vt qui victoria potiti ſunt: &c. et id paſſim traditum, et lege Dei Deut. c. XX. Et itaque ferendus non eſt Lucanus, qui orbis terrarum prædonem appellat Alexãdrum: nam et patris cædem conſilijs Darij patratam vindicaturum ſe profitebatur, Arria lib. II. et victorem occupare potuiſſe

tuisse regna hostium, plusquam recep-
tum. Ineptus est Lucanique patruus
Seneca, qui libro primo de beneficijs
vesanum adolescentẽ, et fælicis temeri-
tatis, non virtutis, latronem a pueritia,
gentium vastatorem, et hostium et suo-
rum perniciem eundem vociferatur,
neque cum Hercule, quod cupiebat,
conferendum ratione vlla, quãdo Her-
cules nihil sibi vicit, at orbem terrarum
transierit, non concupiscendo, sed vin-
dicando. ineptus inquam Seneca, qui
non Alexandri vnius, sed omnium gen-
tium, omnium temporum imperia te-
nuissimis nata initijs, aucta vi bellica
condemnauit. et quid suum Roma-
norum? hoc virtute factum Hieroni-
musque scripsit, c. XIIII.XXVIII.q.I.& longiore ratione Agrippa adprobauit apud Iosep.lib.II.de be. Iud. Verùm non ea scriptio nostra, vt in his valeat im-
morari. Sed ad presentem inspectionem
Victoris adquisitio vniuersalis.
ea accedit disceptatio, si ius est victoris
vniuersale, an verò in his tantùm rebus,
quas

quas pede premit, manu tenet: quam ſcripſit Hotomanus illus. q. V. & non vniuerſale concludit, ſed particulare, vt emptoris, alteriuſque ſucceſſoris particularis. & ſcribit ſanè Celſus, exercitum eam tantummodo partem obtinere, quam intrauerit. L. XVIII. D. de adq. poſſ. & totum hoc ius, vt ait Hotomanus, in manu, & occupatione, & captiuitate poſitum eſt. Ergo quod dubitauit Quintilianus libro quinto capite decimo, id iſte definit palam, Theſſalos non honoratos ab Alexandro, quibus is chirographum Thæbanorum donauerat quoddam, at deriſos: quando ius exigendi pecuniam, quod chirographo conſignatum erat, in manu victoris nõ fuit. Verùm id eſt tractandum cautiùs: nam Alexander immo ſucceſſor Thæbanorum vniuerſalis, quoniam euerſæ Thebæ, & ita mortem paſſæ ſunt. ſi hoſtis ſuperſtes eſt, tum eſt victor particularis ſucceſſor: at ſi victus penitus eſt, victor erit omnio ſucceſſor vniuerſalis.

& ita bona deuictorum Chalcedonenſium ſibi dedi a Bythinis Alcibiades petit Xenoph. lib.I.re.Græ. ita ipſa regum Demetrij,& Mitridatis corpora Romani petunt Liu. lib. XXII. & in Luc.Plu.

Victi ornamentis ſpoliari.

Victos præterea ſpoliare ornamentis omnibus,& id quoque licet. & ita Cic. Verr. III. *Signa,& ornamenta ex vrbe hoſtium vi,& virtute capta belli lege, atque imperatorio iure ſuſtulit.* tranſlaticiúmq; a priſcis temporibus, ſigna, ac deorum donaria capere, & barbarorũ, & Græcorum exempla iam longo tempore confirmata, dicit in Archadicis Pauſania: & Auguſtum tuetur, qui notari videbatur, quòd cœpiſſet. Et itaque vel ius non fuit, vel diſceſſum ab eo eſt, quod Labanus contrarium clamitat Ioſep. lib. I.antiq. Et ſimplices fuerunt ſanè vetuſtiores, & longè moderatiſsimi in vniuerſo hoc negotio bellico: vt monui commentatione ſecunda, & notat Demoſthenes pulcrè Phi. III. Atque ſi hæc, quæ deo ſacra dicuntur, exiiſſe

isse hominum commercium cẽsemus, quia in nullius bonis censeantur: vt Iustinianus tradit Inst. de re diu. negotium cum Deo, ea rapiendo, contrahet victor: nec habet victus, cur iura, quæ nõ sunt sua, sibi quæritet violata. quod si in commercio etiam num sint, vnde & alienentur aliquando, vt scribitur in l. XVII. C. de sacr. eccl. & iuris publici esse vt legitur in l. I. D. de iu. et iu. tum quæ victi erant, victor iustè accipit. Iustum ergo ius, quo vtimur. Sed intelligas cum Cicerone tamen in vrbibus vi captis. nam et Paulus Æmilius captas, non deditas vrbes diripi ait, sancitque emendata direptione, Liu. lib. XXXVII. et diripit, et vendidit plurimas: vt est a Plinio traditum lib. IIII. Mœnia et dirui captæ vrbis possunt, et ipsæ integræ vrbes euerti. partem murorum Giscalæ Titus iure possessionis destrui voluit: vt apud Iosephum lib. IIII. de be. Iu. et Mirandulæ renouasse exemplum Iulius secundus dicitur. meminit verò Plutarcus moris:

Mœnia dirui, & vrbes,

ſed aliam ipſius rationem profert, ne in mœnibus præſidium crederetur. Symp. lib. II. q. V. vrbes integras diſturbatas quid memorem? nota Cartago, quæ et aratrum paſſa, ſolenni Romanorum more. et notatur in l. XXI. tit. IIII. lib. VII. Dig. nota Hiæroſolyma, eiuſque templum aratum in ignominiam gentis oppreſsæ: vt loquitur ille c. VII. diſt. LXXVI. ſed et execrabantur euerſas vrbes: quod recenſet Strabo lib. XIII. notæ vrbes, quas ipſi Iudæi exciderunt, quibuſque ſalem more eorum ſolenni ſuperſeminarunt. adi lib. Iud. c. IX. & Ioſe. lib. V. & VII. antiq. Numantia præterea nota, & Corinthus, & aliæ admodum multæ. trecentas Celtiberorum, quales fuerint, euertit Graccus: Paulus Æmilius in Epiro duas & ſeptuaginta. vt Strabo vtrarumque meminit lib. III. & VII. Et ius hoc bellicum nec incognitum. quod diuerſis ex cauſſis ſtat. Diſturbata Corinthus in vltionem legatorum. quam adprobaui cauſ-

ſam

ſam lib. II. de legatio. c. XIIII. & hîc addo, coloniámque fuiſſe Romanorum: quod recenſet Pauſania libro ſecundo. itaque rebellem deletam iuſtè. Numantia iuſtè diruta, ad quam annos viginti, diutiùs quàm ad Cartaginem, pugnatum; tantum cladium, tantum dedecoris acceptum: quæque minutula vrbs auſa Romanorum hoſtes protegere, victoſque, adeoque dedendos excipere. tollendum infamiæ monumentum: inſana ſuperbia eradicanda: his minimè ignoſcendum, qui impoſsibilia obſtinatiſsimi tentarunt. cumulat contumacia pœnam: vt inquit Marcianus in L. IIII. D. de poe. & monet Titus latè Ioſe. lib. IIII. de be. Iud. receptumque in bellis omnino eſt, in contumaces duriſsimè agere. Ergo valeat Florus, qui Numantinos non iuſtè oppreſſos cenſuit, ſed nec Corinthios lib. III. Carthaginē non negauerit oppreſſam, & euerſam iuſtè, qui ſcribit, Pœnos contra fœderis legem aduersùs Numidas claſſem, & exerci-

exercitum comparaſſe, & frequèns territaſſe fines Maſiniſſe. qua verò ſuperbia maris peccabant, in ea ipſos vlciſci Romani decreuerunt: vt eſt apud Appianum. Quid Hieroſolimam tueretur? numquid non in ditione Romanorum vſque a Pompeio? vtique ſcribit Ioſephus lib. I. de be. Iud. numquid igitur non rebellis? rebellis eſt, qui contradicit ſubditus vel dicto, vel facto ſuperioris: aut is certè, qui principi, vel eius officiali reſiſtit in pertinentibus ad imperij ſtatum. qui fert inimicis opem litteris, nuncijs, ſignis. vt hæc tradita ab alijs firmat Decius conſ. DCIV. In caſu. ſeueriſsimè autem vindicari perduellionis crimen oportere, certum eſt. & hoc Cicero in prima Catilinaria virtutem appellat: *Fuit iſta quondam in hac rep. virtus, vt viri fortes acrioribus ſupplicijs ciuem perniciosum, quàm acerbiſsimum hoſtem coërcerent.* & hinc ignis quoque pœna contra ciuem iſtum inualuit. L VIII. D. de poe. Amm. lib. XIV. XXI. XXII. &

Rebelles.

nos

nos alibi. Et probè illa in Hebræorum propoſito Ioſephus lib. II. Qui ſemel ſubiectus eſt, & deinceps deficit, contumax magis ſeruus, quàm amator libertatis oſtenditur. Plura autem mox de ſubditis. hîc vnum pro eis appono, quod excuſentur, ſi timore mortis, & depopulationis ſeruiũt, & fidem etiam hoſtibus iurent, vtbéſque dedant, quas tueri princeps non poteſt. quod diſputat Decius conſ. XXV. & comprobat Molinæus. mihi de veritate non inquirendum, ſed ad vrbes hoſtium redeundum eſt. Numquid igitur vt in pœnam ea iuſtè vaſtatio vrbium fieri poteſt, ita et in terrorem poteſt aliarum, et ad famam nominis? Pœnæ quidem omnes ad aliorum terrorem magis, quàm ad criminis patrati luelam eſſe dicuntur. verùm niſi et patratum crimen exigit pœnam, hæc nunquam infligetur. Ad nominis certè famam, quod a Sueuis olim factitatum memorat Cæſar, et fieri a barbaris conſueuit feritate ingenita, Terror, fama.

cupiditate nocendi, non magis probes, quàm quod factum est Dianæ templi incendium. Atque hîc partem istam finio, quæ de victoris vindicta in rebus hostium fuit: & ad alteram de vindicta in personas accedo. & de iure quidem seruitutis, in quam capti hostes traducuntur, attigimus commentatione secunda. ceterùm videndum aliquid & hîc est: quando victoris potestas latior, ius potentius, causſa vltionis grauior credi potest. sed neque nunc velim tamen atrocioribus iniurijs captos affici. & quod Athenienses captiuorum vultus notis fœdarint, manus debilitarint, improbatum est Æliano lib. II. Ciceroni lib. III. de off. Plutarco in Nic. & in Lysa. ita sæuitia dominorum compressa ciuilibus cõstitutionibus sanctissimè, etiam impudicitia, etiam auaritia. L. II. tit. VI. lib. I. Dig. & apud Senecam videris lib. III. de benef. Huiusmodi omnia sunt morte tetriora. Sed nec licita cædes captorum. & ait illa tamen

De captiuis.

in

in Ceiri, *At belli ſaltem captiuam lege necaſſes.* & grammatici, *ſerui, qui ſeruati ſunt, cum eos occidi oporteret.* immo & iuris auctoris hoc Inſt. de iu. pe. & L. CCXXXIX. D. de ver. ſig. ferís etiam captiuorum hoſtium multitudinem magnam Conſtantinus obiecit: vt in panegyrico leges. Fieri hæc omnia notum nimis: & cauſſæ illa excuſant, probantque. Interim de Græcorum more regulam conſtituemus, non licere firmata victoria hoſtem occidere: quem notat morem Plutarcus in apophet. & Seneca crudele dicit occidere, déque Cęſare, qui neminem niſi armatum interfecerit, hoc ius notat lib. V. de benef. quod & Auguſtinus, *Hoſtem pugnantem neceſsitas perimat. ſicut reſiſtenti violentia redditur, ita victo, vel capto miſericordia debetur.* c. III. XXIII. q. I. Et ſtabit regula rationi illi ſubnixa, quòd detrahere oporteat ſeueritati, vbi multorum ſtrages iaceret. vt idem Auguſtinus, &. alij docent. c. I. diſt. XLIIII. c. XIIII. I.

q.VII. c.V. IX. q.I. c.XXIIII. XXIII q. IIII. Nec modò vita, & incolumitas relinquenda victis, ſed aliquando ipſa & libertas eſt. & multis ſæpe populis victis victor populus Romanus eam reliquit, deditque, vt Græcis vniuerſis ſub Æmilio Paulo imperatore. quid enim liberis populis iugum non laturum ſeruitutis impones? an gentem integram exterminabis? id quidem licitum, ſed non honeſtum, nolle nec viuos, quos habere ſeruos non potes, ſi amicos potes. et in mancipio, ait Seneca libro primo de clementia, cogitandum, non quantum illud impune pati poſsit, ſed quantum tibi permittat æqui, bonique natura: quæ parcere etiam captiuis, & pretio paratis iubet. itaque vel regnum relinqui ſuum victo, ſi tutò fiat id, bellè monet. nam ſi malè relictam libertatem vtendo corrupturi eſſe viderentur, tum quidem relinquenda non eſt. quod obſeruatum leges Liu. lib. XXXIX. Et de illis ipſis Græcis dixit Veſpaſianus,

deſijſſe

desijsse scire liberos viuere, & itaque exuit libertate. vt refert Pausania lib. VII. & Macedonia ingrati vitio tandem in seruitutem redacta: teste Seneca lib. III. de benef. Videndum quoque quos inter bellum gestum esse dicatur. nam quæ pugnant formæ rerumpublicarũ, nec se inuicem ferent: victæ victrix non iniquè leges seruitutis imponit. par est siquidem, vt potentiori succumbat, quæ stare vnà non possit. et naturale, iustúmque imperium, vt imbecilliora potentioribus pareant, ait Plato lib. IIII. de legi. et Thucid. lib. V. feratq; victus quod feciſſet, si viciſſet ipse. Ita rempubl. cam rex, regem respublica perimit. ita Demosthenes non semel dixit, cũ liberis populis aut propter priuatas iniurias, pro quibus satisfacere publicè non potuerunt, aut pro parte agrorum, aut de finibus, aut propter contentionem honoris, aut de principatu bella Athænienses gessisse: cum potestate autem paucorum propter hæc dimicationem

nem nullam, ſed de reip. forma, ac libertate habuiſſe. ita Xerſes inimicitiarũ medium nullum inquit cum Græcis ſibi, at dominationis extremum: Herod. lib. VII. ita mihi viſus Romanus vbique populus reges tollere, populares ſtatus ſeruare, niſi ſi quid certa imperij ratio aliquando diuerſum exegerit. ad quam victoris accommodare ſe victi debent, aut frangentur: vt iuſtè feciſſet Athænienſibus Philippus, eiſque ponit ob oculos Demoſthenes in orat. de Cherſ. & Phi. III. ita Samnites deleti funditus. Stra. lib. V. ita vrbes æquatæ ſolo, quas recenſuimus. ita dilacerata Macedonia. Liu. lib. XLV. ita tranſportati Ligures. Liu. lib. XL. ita alia deteriora in parete recuſantes patrata non iuſtè modò, ſed etiam honeſtè. Et de plebe hæc. namque in duces hoſtium agi duriùs poſſe videtur. in quos ſcilicet vltionem deſcẽdere, multitudini vt parcatur, dixerit Iuſtinianus, qui eo nomine voluit capita factionum punire: vt eſt in Auth. de proc.

Duces hoſtium.

proc. Cap. Et hæc quidem Romanorum conſuetudo duces hoſtium necandi. Cic. Verr. vlt. Ioſep. lib· vlt. de be. Iud. quam ſuſtuliſſe dicitur Pompeius, renouaſſe Conſtantinus, & hic & ille Magnus: vt eſt apud App. de be. Mi. & apud panegyraſten. at Cyruſque igni deſtinat Crœſum, Herod. lib. I. Meſſenij in tætro carcere necant Philopœmonem: Eumenes miſerimo mortis generi addictus, vt inedia conficeretur. vt tradit Plutarcus. Samius rex ſuſpenſus a Perſa, Stra. lib. XIIII. Ariarathes Cappadocum in crucem actus a Perdica, Lucia. in Macrob. Agag diſcerptus in fruſtra a Samuele, c. XLI. II. q. VI. Quid indicem plura? iam Siphacis, Perſei memineris, Iugurtę, Ariſtonici, Artabaſdi, Mitridatis, Ptolomei, aliorum regum a Romanis captorum, confectorum miſerè. Et habet aliam rationem ea conſuetudo, ſed quæ alteram partem futuri reſpicit, quod duces iſti, principeſque inſtaurare litem finitam valerent ſuperſtites.

ſtites. verùm ea potiſsimum ius Romanorum nitebatur, quia ſuorum manibus cæſorum ita parentari credebatur: vt dixitque Tertullianus in lib. de ſpect. & expreſſum a Virgilio, qui pium heroem ita loquentem facit.

Pallas te hoc vulnere, Pallas
Immolat. &c.

Sed & Cyrus, & alij religionem quandã in re iſta cõſtituebant: Scythæq; centeſimum captiuorum itidem immolabant. quod Herodotus in Melpomene. Quæ cum ita ſint, Caroli regis Neapolitani ſententiam, qua eſt Conradinus necatus, tantopere ipſe vituperandam non cenſuerim. & is non aptè inclamabat, parem in parem non habere imperium: nam captus non par victori. Atque non dubium videri potuit, futurum vt Carolus intutiſsimus viueret, ſi Conradinus vixiſſet: quia ſint Neapolitani ſemper Italorum omnium maximè cupidi rerum nouarum, & mutationum appetentiſsimi. quod Guicciardinus

Conradinus.

dinus libro primo, & ſecundo admonuit, & Collenucius conteſtatur. Ergo conſultus a Carolo pontifex Romanus reſpondit vt breuiſsimè, ita iuſtiſsimeque, *Mors Conradini vita Caroli, vita Conradini mors Caroli.* Col. lib. IIII. Auguſtiníque ſententiam, qua hoſtem hoſtis victi vel capti miſereri monet, maximè in quo pacis perturbatio non timetur, c. III. XXIII. q. I. iuriſconſulti eius ætatis non malè ſunt interpretati ita, ac ſi Auguſtinus dixiſſet, Niſi pacis perturbatio timeretur. nam exigit ratio, cui verba aptantur, iſtam interpretationem. et ille articulus Maximè non ſemper includit, nec adfirmat ſemper. quod alij adnotarunt: & verum eſt. Contra Conradinum vehemens accuſatio in c. XVII. de elect. in VI. at eam ego non moror. immo in eo facto hoc improbo, quod bello captus quaſi criminis reus necatus eſt: malefici ſiquidem eſt, iudicum ſententijs condemnatum mori: vt aitque Demoſthenes rectè Phi. I.

Alciatus in libro de ſingulari certamine nec mortes captiuorum tulit, ſed nec ſeruitutem, nec malam tractationem nec pretium redemptionis immoderatum: atque de gentium quaſi conſenſu Chriſtianarum hæc recitat. Neq; ego ab huiuſmodi definitionibus abeo longè: et ſcio Alfonſum, celebrem illum regem Neapolis captum, & dimiſſum: ſcio Caroli filium ſupradicti: ſcio Franciſcum primum Galliarum, & alium Galliarum regem Turciq́ue captiuum, & Lyſimachum captiuum apud Thraces, & Sarmatarum modò captiuum archiducem Maximilianum: ſcio hos dimiſſos, & quoſdam gratis; nec dubito alios huius ordinis eſſe. memini verò, Ariſtotelemq́ue libro primo politicorum recenſere, nobiliores captos non ſeruos nuncupatos, ſed nomine hoc barbaros tantùm appellatos: & Spartanum quendam captiuum iſto, non mancipij nomine dici voluiſſe apud Plut. in apophet. Ceterùm accepta ma-

Precium redempionis.

la,

la, futuri ſupiciones, alia poſſunt illam definitionem immutare. Et quod Alciatus ſpecialiter de pretio redemptionis habet, id quidem neque non eſt honeſtiſsimum, neque non ſequi victores principes debent: veterum enim ſimplicitas in pretio nec vllo recipiendo, vt ait Demoſthenes: & Pyrrhi iudicium laudatiſsimum, qui reſpondit, *Nec mi aurum poſco, nec mi pretium dederitis. &c.* illam verò ſimplicitatem, & virtutes heroicas exprimere decet principes maximè, qui ſupra humanam conditionem ſunt verè. eſt tamen, cur & diuerſum ſeruari poſsit, & ſeruatum ab alijs eſt. Homerus etiam Achillem Hectoris cadauer quaſi vendentem facit. quod etſi Taſſus in dialogo primo de nobilitate non probet, vt vt ſæuitiam in cadauer idem non improbet, affectum iræ, & heroum: probant alij tamen, quia munera a Priamo allata capere Achilles debuit, quaſi victoriæ & honoris indicium: nam tale eſt munus, Ariſt. lib. I.

Rhet. vnde Ouidius de dijſque, *Placatur donis Iupiter.* barbaros præterea iuſtiſsimum ſpoliare pecunia. L. IIII. C. de comm. & merc. & generaliter vſuramque, auaritiæ teterrimum, Ambroſius in hoſtem admittit, c. XII. XIIII. q. IIII. cui iure inferuntur arma, huic legitimè indicuntur vſuræ. ab hoc vſuram exige, quem non ſit crimen occidere. vbi ius belli, ibi ius vſuræ. &c. At vide iam æquitati huic oppoſitam ſeueritatem illam, quæ vltionem ad poſteroſque deducit. quæ eſt agitata quæſtio ex Alexandri facto, qui Græcos vlturus in Perſas mouit. Et Arrianus, quem ex legum auctoribus vnum fuiſſe volunt, quique laudat vbique Alexandri facta, damnat palam vindictam huiuſmodi lib. III. cum qui iniurias intulerunt barbari, hi iam non extabant ampliùs. atque huc accedit Cicero, cuius illa lib. III. de nat. deo. *expectentur pœnæ a liberis, a nepotibus, a poſteris. O miram æquitatem deorum. ferrétne vlla ciuitas latorem iſtiuſmodi*

Vltio in poſteros.

modi legis, vt condemnaretur filius, aut nepos, si pater, aut auus deliquisset? idem Ioſephus cenſet lib. IIII. & IX. antiq. & de ſacris acceptum eſt literis, quæ, filium portare patris iniquitatem, non patiuntur: & nec eius occidi liberos ſinunt, qui regem necarit. IIII.reg. XIIII. et II. chron. XXV. idem de ſenatus Romani iudicio, & eius populi longo inſtituto adſerit Dionyſius latè lib. VIII. et longè itaq; omnium iniuſtiſsimum ait Plutarcus in Sylla, quod hic vel honoribus filios proſcriptorum exuiſſet: quod et Seneca lib. II. de ira. addítque, nihil inquius eſſe, quàm aliquem heredem paterni odij habere. Atque hæc omnia illi hærent regulæ, vt pœna vnos teneat peccati auctores. non amici, non adfines puniantur: quia nec amicitia, nec adfinitas crimen admittant; vt ait imperator in L. XXII. C. de pœ. et eadem ſententia in Nou. tit. XVII. coll. IX. vbi et pecuniaria damna amouentur. ait verò Zeno, Graue eſt non ſolùm

legibus, verùm etiam naturali æquitati contrarium, pro alienis debitis alios moleſtari. C. vt nu. ex vic. vnde illíque ſcilicet tituli, Ne vxor pro marito, vel maritus pro vxore, vel mater pro filio conueniatur. Ne filius pro patre, vel pater pro filio emancipato, vel libertus pro patrono, vel ſeruus pro domino cõueniatur. Cod. lib. IIII. Et ita cum alijs inquit Decius, lege quidem contra hæc ſtatui poſſe, at illam odioſam fore, contra naturalem æquitatem, contra ius diuinum. conſ. CCCLIX. CCCCX. CI. DXXIIII. DXCI. Ius tandem frequens, & vulgatum, heredes in pœnam non ſuccedere. L. pe. D. de no. op. nu. L. IIII. V. VI. D. de al. iu. mu. ca. fa. L. CXI. D. de reg. iu. Et ita pro hac parte, quæ per ſe ſepta videtur ſatis, multa nimis. contrariam autem tuetur Plutarcus latiſsimè in lib. de ſe. nu. vi. & Alexandri factum probat amplè. quemadmodum de eiuſdem regis virtute duobus adſeruit libris pleniſsimè. Porro in

quæſtio-

quæſtione noſtra ad numen diuinum quod attinet, hoc facit nobilis is philoſophus tã benè, vt nullus eruditiſsimorum in veri Dei noſtri ſchola faciat meliùs. habet ſcilicet rationes ſolidas, quibus adprobet ſuperbiſsimo cuiq;, quod & pronunciat Deus, vlturum ſe patrum delicta in tertiam generationem, & quartam. pia etenim mens iuſtam cenſet pronunciationem, quia Dei eſt, non autem cenſet Dei, quia iuſta eſt: vt proxima commentatione recitauimus ſapientum dicta. quibus adiungere licet alia de Tert. lib. de fu. in perſ. & lib. de pœnit. qui eidem adſcribitur: item de Arnob. lib. III. & VI. ſed & de alijs alia, quæ idem hoc nobiſcum docent. verùm eſtque altera hæc Dei pronunciatio ad res vitæ iſtius referenda: vt fit etiam a iure canonico in c. X. de hæret. c. citò. I. qu. I. & obſeruatum a Coraſio eſt in celebri illlo arreſto Tholoſano adnot. XCVIII. paritate ſeminis, gratitate cauſſæ, publica ratione poſtulante.

lante. & ita illam vitioſam ſementem Plutarcúſque conſiderat, & imperatores in L. V. C. ad leg. Iu. ma. qua in filios vltionis pars dimittitur. quæque vt videri dura valeat, nunquam tamen eius eſſe odium in illos filios irrationabile dixerim: etſi id dicant alij, & Decius conſ. LXIIII. Diligenter. vnde nec in nepotibus obtinere volunt, nec in fratribus, nec, ſi ipſi filij rei ſunt, in parentibus: quòd ſcilicet in fratribus, patribúſque ratio illic dicta ceſſet, cum non ſint iſti ex infecto ſanguine perduellis. quam vnam rationem ſeueræ illius legiſlationis tradunt, quos ſequitur Decius: ſed non Alciatus de præſ. reg. I. præſ. XXIIII. qui & alias affert, quas recenſebimus. hanc ita tenet tamen, vt ex vna ſpecie delicti paterni ſtatuat præſumptionem, filios pluribus etiam, diuerſiſque laboraturos criminibus. præſ. VIII. reg. II. Aſt ego idem de nepotibus & alijs deſcendentibus opinarer per d. c. citò. aliaque, quæ hîc tamen latiori

folio

ſolio non tracto. ſed in propoſito dico cum Plutarco, quod vt præceſſorum bonis ſucceſſores frui æquum putant, et eſt: & de indignis ſucceſſoribus quoque latè adſtruit Seneca lib. IIII. de benef. ita debita incommoda ſuſtinere ſimul debent. hæc eſt regula naturæ. L. X. D. de reg. iu. Hæredes quoque in pœnam immo ſuccedere, quà ad eos de auctorum bonis peruenit, leges conſtituunt. L. II. D. qui. ad lib. pro. non li. L. XVI. D. quod me. ca. L. V. D. de calu. Et itaque Perſæ illi, quibus bellum intulit Alexander, vrbes, & reliqua bona a maioribus, qui Græciam vaſtarunt, cum haberent, quid reprehenditur? Quinimmo cum ciuitas, populúſque tempore non mutetur, ſed ſucceſsione ſit idem, qui olim fuit; vt de Ariſtotele, ac iuriſconſultis ſcripſimus, & hoc loco Plutarcus tradit: hi profectò poſteri non tam pro alieno, quàm pro ipſorum merito puniuntur. Rurſus dum in poſteros ita ius extenditur vltionis, eo-

rum ſapere periculo maiores coguntur. quod & cum alijs noſtris notat Alciatus, & ego indicaui in obſidum argumento. ſed & Cicero alicubi ita, Nec verò me fugit, quam ſit acerbum, parentum ſcelera filiorum pœnis lui. ſed hoc præclarè legibus comparatum eſt, vt charitas liberorum amiciores parentes reipublicæ redderet. et alibi: Illud videtur eſſe crudele, quod ad liberos, qui nihil meruerunt, pœna peruenit; ſed id et antiquum eſt, et omnium ciuitatum. parentes quippe pro affectu terreri in liberos magis, ait I.C. in L. VIII. D. quod me. ca. Et quemadmodum de beneficijs conferẽdis in ſucceſſores ait Seneca, plures iuuare bonos ſi gratia bonorum non cum ipſis cadat: ita plures terrebit malos, ſi odium malorum non cum ipſis cadet. Et itaque libro primo de ira idem auctor, totas domos fũditus tolli, familias cum coniugibus ac liberis perdi, tecta dirui, alia id genus iuſtè fieri poſſe cenſet. Et Cartagine cognati quo-

que,

que, non liberi modò, innoxij ſupplicio affecti. Iuſti. lib. XXI. tractati miſerimè non admodum pridem proditorum cognati ad quintum vſque gradum alij Friderici Cæſaris iuſſu. Coll. lib. IIII. & pars ſanè corporis noſtri cognati. L. XXI. C. de agr. & cenſ. & proditionis odio, vt omnes in proditores inſurgant, quibus eorum nota vita eſſe poteſt: vt poteſt cognatis. L. octaui. D. vn. cogn. quam quoque memini rationem proferri in diſputatione iſta. & refert Valerius Maximus, de robore præcipitatos familiares Graccorum, ne quis inimicis reipublicæ amicus eſſe vellet. lib. VI. c. III. Atque ita poſterioriorem hanc partem probo, vt ex cauſsis vltio ſummi & de poſteris poſsit. Verùm addo illud, vt leuiores omnino hîc victores ſient: nam miſericordia digni, qui alieno laborant vitio. L. VII. C. de nat. lib. & liberorum hoſtis miſerturum eum, qui moderatus eſt, & mente vtitur, ait probè Demoſtenes ep. III. &

ſancit ea L. V. C. ad leg. Iu. ma. præſertim in fœminis: quod pleniùs in c. IIII. & V. de pœ. lib. VI. & exemplum habet Herodotus in Melpomene. Decet victorem moderatio ſemper: vt ait apud Polibium Quinctius. iam ſcilicet ira belli deſenuit: vt fuit ſignificanter vocabulum Salluſtio vſurpatum. Et in vniuerſum tenere Virgilianum oportet illud, *Parcere ſubiectis.* id ſuadet Liuia, & perſuadet Auguſto, Dio. lib. LV. hoc eſt imperij proprium, curam gerere ſalutis alienæ, & boni moderatoris reſtringere poteſtatem: quod de ſapientibus recitat Ammia. lib. XXIX. cum ſexcentis alijs. Vlpianus autem ſcripſit, Veniæ nullam eſſe rationem, inhumanum eſt. L. VI. D. de his, qui no. inf. & collegit Tiraquellus volumen eorum, quæ mollire pœnas conſueuerunt. Ego hîc diutiùs hæreo. Captiuis porrò adfines dedititij ſunt. hi ſunt, qui dediderunt ſe, non expectarunt, vt caperentur: in quos agi mitiùs oportere indicaui-

Dedititij.

dicauimus, & hiſtoriæ docent, & ipſe quẽuis naturalis admonet intellectus. quid, quod venia dignus, qui obtemperauit? L. XI. D. de his, qui not. inf. At vel dedunt ſe ſimpliciter, vel arbitrio, vel miſericordiæ, vel voluntati, vel ſi quæ ſimilia verba ſunt vſurpata. Illud tamen in quacunque deditione mihi perſuaſum eſt, deditios interficere non licere. nam qui accipit dedentem ſe, tacitæ illius ſpei tacitus quaſi porrigere manum videtur. Senatuique Romano viſum atrox, quod conſul in deditos ſæuierit, eos vel vendendo: itaque redimi iuſsit, & bona ipſorum recuperari, ipſiſque reddi. dediderant verò illi ſe, nihil pacti: & qui rebellaſſe certè a fœdere non ſemel videntur: vt hæc Sigonius recitat lib. I. de ant. iu. Ita. c. XXIII. Iam arbitrij nomen cogit poteſtatem magis, & ad bonum virum refertur. L. I. D. de leg. II. L. XXIIII. D. loca. & Plato cenſuit lib. I. de legi. & Ariſt. lib. III. Polit. & æquitati adſtrictum dicitur,

rationíque naturali ſubiectum: quam citra iniuſtitiam non deſerimus, vt explicatum a noſtratibus eſt alibi, & ad §. præterea. Inſt. de act. Diſputatur verò illud latiſsimè, nec conſtat admodum, quid receptum ſit, ſi ad mortem vſque arbitrium porrigatur. quod videris apud vnum Marantam q. III. mihi tamen ſententia probatur, quæ porrigi cenſet: quæque adſeritur a Decio conſ. C. In cauſſa. ſi enim & mortem promeritus eſt dedititius, atque arbitrij nomen ad iuſtitiam refertur: quid hîc contra verbi ſignificationem fiet, ſi morti adiudicatur? Vanum autem in hoc tractatu iuriſgentium, quod in iure ciuitatum quæritur, ſi huiuſmodi deditiones fieri poſſunt; quando nec membrorum ſuorum, nec vitæ ſuæ quis dominus exiſtat: vnde nec fieri deditiones, concluditur. adi Aret. ad §. I. Inſt. de iu. & iu. Hîc ſcilicet ceſſat ciuile iudicium. ſed & iure ciuitatum valent deditiones, ſi receptæ moribus ſint. vt per Menoch.

Menoch. de arb. q. VII. nemo autem dubitat, receptiſsimaſque in bellis eſſe. Qui verò miſericordiæ ſe dedunt, hi quaſi delictum faſsi, caſtigari poſſe videntur. ſed non ita eſt. & nullum fatetur delictum, qui ita loquitur, & miſericordiam implorat. quod alij docent, & idem Menochius q. VIII. ſed immo benignè tractandus eſt; vt alijque tradunt, & Chaſſ. in Cat. par. V. conſid. XXIIII. Qui ſe dedunt voluntati, hi grauiorem ſubire conditionem videntur, quia de voluntatis vocabulo noſtri ſic definire ſolent, ne coactum ſit. ceterùm conſtat, excedere rationem non oportere. L. XIII. D. de pœ. & turpe nihil in quantauis poteſtate admitti poſſe, nihil illicitum, nihil vetitum: abſurdus quippe ſenſus remouendus eſt ſemper, etſi illum verborum ſonus inducat. quod Menoch. de arb. q. VII. quæ facta lædunt pietatem, exiſtimationem, verecundiam, & vt generaliter dixerim, quæ contra bonos mores ſunt, ea nec

fieri

fieri posse credendum est. L. XV. D. de cond. inst. & hoc est ius commendatum nobis honestatis, quod ab omni potestatis excellentia censetur sepositum. vt per Bal. in L. quod ex liberta. C. de op. lib. & per alios alibi verissimè. Atque hîc ego honestatem dico, quæ non ciuilis est iuris, sed quæ naturalis est: id est, eam, quæ naturaliter visa talis est. L. pe. D. de solut. & ego latiùs scribo ad L. XLII. D. de ve. sig. contra naturalem honestatem erat, quod Atepomarus Gallus Romanas sibi prostitui matronas exigeret, aut se finem bello non facturum minitabatur. vnde iustéque deceptum puto. pariter in casu pari deceptique Sardiani a Smirneis iustè. quæ legeris in Plut. lib. de cla. mu. Ita laudatúmque Chiomaræ Galatæ mulieris facinus, & alterius Thæbanæ alterum, quæ violatores pudicitiæ ipsarum, victores dominos peremerunt. & iudicium Alexandri huc accessit. vt apud eundem Plutarcum videris.

Honestum naturæ non tolli.

ita

ita et in exilium, nemine refragante, missus Torquatus Valerius, quòd captiuam vitiauit. quod idem auctor in parallelis. ita captiuarum pudicitiæ curam captis Syracusis curauit M. Marcellus. vt apud Aug. lib. I. de ciu. ita ille idem Alexander amore captus captiuæ Roxanes, ducit eam in vxorem, non afficit captiuam contumelia. Arria. lib. IIII. Breulter, hoc est ius, quod proxima commentatione notaui. Vt verò naturalis honestas non tollitur iure victorię, ita nec ius aliud naturale: quia hoc potentius iure principali: vt inquit Bal. in c. I. qui fe. da. po. itaque quod contra humanitatem est, id nec princeps, aut victor iniunget. et iniquissimum, quod Ægyptius rex Hebræis iniunxit de prole mascula necanda. Exo. c. I. et lex Athenienſibus iiuncta iniqua, qua nobiliſſimi pueri Cretam a minotauro conficiendi mittebantur. et quæ Cartagine consuetudo fuit litandi humano sanguine a Gelone sublata cum laude, qui

Humanitatis iura non tolli.

Carthaginenſibus pacem nec dedit priùs, quàm mos iſte abrogaretur. vt apud Plut. de ſe. nu. vi. nec verò prætextus religionis hîc poteſt admitti, vbi et ius hominum læditur. Piratica item, quæ prorſus eſt contra ius gentium, et humanam ſocietatem; vt legiturque in c. XV. XIIII. q. V. ea victis indici exercenda non poteſt. et ſi interdici poteſt iuſtè: et iuſta bella aduerſùs eam ſuſcipiuntur, a Romanis contra Teucam, Baleares, Cilices: vtique ipſam iniungere iniuſtum. Et hæc plura exempla ſunt: que nec ſunt omnia excutiẽda. omnia ſunt, quæ naturalem belli cauſſam præbere indicauimus commentatione prima: vt propter quæ naturali cauſſa mouente bellatur, ea victor victis ſuſcipienda non proponat. nam ſi recepta tollerentur, magis recipienda non ſunt. Maneat itaque hæc definitio, nec contra ius naturale, & rationem eius quid victor imponat. nam & idem Baldus ait, legem non audere id, quod ratio negat naturalis

lis. ad. L. I. D. de vſ. ea. rẽ. quæ vſu conſum. Et ciuile quoque ſit neceſſe eſt, quod eſt gentium, & naturæ: vt ſcribit Cicero lib. III. de off. At verò quæ ciuitatum legibus, moribuſq; ſolis ſtant, ea mutari pro libitu a victore valent. Hæc ſunt honeſtáque illa, de quibus Iuſtinus martyr in apol. I. & Nepos in proëmio ait, non eadem eſſe honeſta omnibus, et turpia, ſed omnia maiorum inſtitutis iudicari. Et verò de ſcænicis loquitur, qui in Græcia non inhoneſti, Romæ infames cenſebantur. Non itaque Lydis victis iniuſtè hoc iniunctum a Cyro, vt abiectis armis vacarent choreis, & commeſſationibus; & virilem habitum in molliorem mutarent. in quibus arcanumque imperij. Herod. lib. I. Ita arma Hiſpanis adempta a Catone, qui nec vitam ſine armis cenſebant tamen. Liu. lib. XXXIIII. Fuit autem & mos arma deuictorum cremandi Flo. lib. IIII. Sermonem immutarunt Romani victis. quod imperioſum

Ciuilia tolli.

ait quidem Augustinus lib. XIX. de ciu. sed non est tamen contra naturalem æquitatem: quia nec a natura est, vt hoc magis, quàm illo sermone vtamur. quod eruditè Tassusque in dialogo de dignitate. et quoniam sermo diuersus, vt victus, habitúsque, concordiam esse non patitur; vt probè ait Parthorum rex Herodiani libro quarto: & contra, nihil æquè ac morum cognatio concordiam firmat, vt pontifex ille apud Iosephum lib. IIII. de be. Iud. immo sanctè ad pacem, si ista impedimenta tolluntur. Ita & laudatus Alexander, qui cum alia, tum etiam sermonem Græcis & barbaris vnum desiderarit.

Religio non mutari.

Sed quid de religione? iubebit ne victor, eam mutari? Ex religionum certè diuersitate agere in seditionibus prouincias contestatur expertus Iustinianus in nou. de proc. Palæst. & ob eandem diuersitatem multas inter Ægyptios & Iudæos fuisse inimicitias, scribit Iosephus lib. I. con. App. dixerint verò idem multi in

tempora

tempora hæc noſtra intuiti. Ceterùm ſi religio eius eſt naturæ, vt compelli ad eam inuitus nullus debeat. c. XXXIII. XXIII. q.V. & de Chriſtiana diſertè in c. III. de bapt. atque noua illa dicatur, et inaudita prædicatio, quæ verberibus exigit fidem. c. I.& c. III. diſt. XLV. cum alijs, quæ tradidi commentatione prima: ſequitur, iuſſum de religione mutanda iuſtum non eſſe. Et ſunt rationes illæ generaliores, quàm vt excipere hæreſis crimen potuerint Toletani patres c. V. ea diſt. *Et hoc* (ait Tertullianus in apologetico) *ad irreligioſitatis elogium concurrit, adimere libertatem religionis, & interdicere optionem diuinitatis, vt non liceat mihi colere, quem velim, ſed cogar colere quem nolim. atque ideo & Ægyptijs permiſſa eſt tam vanæ ſuperſtitionis poteſtas, auibus, & beſtijs conſecrandis, & capite damnandi, qui aliquem huiuſmodi deum occiderit.* Et idem ad Scapulam, quod naturalis poteſtatis eſt religio, & nec alteri alterius noceat aut profit. cum ſex-

centis alijs. Quod verò de ſeditionibus narraui, & diſſenſionibus, id meliùs explicandum eſt. Nam Iudæorum gentem, & Ægyptiorum decet intueri: illam tumultuantem ſemper, & fœtentem, vt inquit Ammianus lib. XXII. quæque eadem aliquando ingentem edere per totum potuit terrarum orbem, vt in Traiano recitat Dio: iſtam contumaciſsimam, & quæ facinoribus omnibus vincere gentes omnes facilè potuit. adi vnum Vopiſcum in Saturnino. itaque religionis potentiſsimum prætextum impotentibus animis inquietiſsimis facilè prætexuerint quod planè Ioſephus lib. II. de be. Iud. & religio eas controuerſias non excitauerit verè, nec in præſentia excitet. quicquid Iuſtinianus olim, quicquid alij hodie dicant: qui Romani antiquioris imperij, & huius recentiſsimi auctoritate refutantur, & regni Turcici, & aliorum. Quod ſi illud reſponderetur, benè vel prætextum hunc tolli ſeditionum. dixerim ego, veris

ris occurrendum earum cauſsis: quia prætextu vno auulſo non deficit alter. Immò verò cauſſa licet ſit, non prætextus ſeditionum religio, quæ imperium tamen non pertingant; ea inuitis non eſt mutanda: quoniam non cum tanta iniuſtitia fuerit quærenda quies principi, qui nec recuſare huiuſmodi poteſt onera principatus. compeſcenda hæc remedijs alijs, pænis grauioribus. L. XVI. in fi. D. de pœ. Quod ſi illa eſſet religio, quæ etiam victoris, & Principis iura labefactaret, mutari certè poteſt: neque enim ſibi iudicium hîc victor, aut princeps ſumit Dei, ſed cauſſæ ſuæ. Victis qui ſibi deum lædi putant, ſi quidquam de ipſorum religione mutetur, quid reſtet, id etiam expoſuimus. arma non reſtant. ſed nec fas duximus, vt arma caperent. adde hîc illa Tertulliani in apologetico, *Cui bello non idonei, non prompti fuiſſemus etiam impares copijs, qui tam libenter trucidamur? ſed deeſſet nobis vis numerorum, & copiarum? ſed abſit, vt*

igni

igni humano vindicetur diuina secta. Victores & alia statuere in proposito possunt, quibus victoriam sibi constituant. & victos sedibus deijcere, & in alias terras deportare. quæ facta cum Iudæis sæpe, & cum Liguribus semel, Liu. lib. XL. At moueo generalem quæstionem hîc, quando de materia seditionum ferenda constitui, si vtilitatem magis, vel honestatem sequi noster debeat victor: nam & commodius fuerit, si pacatè viuatur. Id quæro salua iustitia contra honestatem pro vtilitate. neque tracto, si aliud ab honesto potest vtile esse: quod Cicero in libris de officijs facit latè; ac negat. verùm hoc ego pinguiùs pro iurisconsultorum more expono, & inter illa distinguo, vt distinguitque Aristoteles lib. VIII. Polit. & alij, & pulcrè Innocentius in c. I. de vo. dum in suo illo tractatu, quid liceat secundùm æquitatem, quid deceat secundùm honestatem, quid expediat secundùm vtilitatem, ad considerandum proponit.

Si vtile cum honesto pugnet.

Et

Et in quæſtione iſta cenſeo, vtilitati honeſtatem anteponendam, quæ eſt notata Innocentio priùs. Et ita Collatinum honeſtiora ſuadentem probarunt Romani magis, quàm Brutum, qui ſuadebat vtiliora. Diony. lib. V. Liu. lib. II. ſummum item ſummorum præceptorum iuris honeſtas eſt. imperia nec ſunt ad vtilitatem conſtituta, ſed ad ſalutem communem. L. I. C. de off. præ. præ. Afr. Et hoc ſanè honeſtum definitur ab Ariſtotele libro ſecundo rhetoricorum, quod communem vſum reſpicit: vtile, quod priuatum. Ergo principiſque fuerit honeſtatem ſequi magis, quia priuatum uſum tirannus ſequitur ſcilicet. Ariſt. lib. V. polit. Aptè etiam huc ducetur, quod noſtrates tradiderunt, honorem commodo præferendum, vel cum aliqua iniquitate. quod Chaſſ. in catal. par. V. conſ. XXVIII. & XXXV. ducatur & regula, quę ait, Non omne, quod licet, honeſtū eſt. L. CXLIIII. D. de reg. iu. atque ibi, rationem honeſta-

tis habendam in primis, docent. Ducatur Ciceroniſque ſententia nobilis lib. IIII. de rep. nolim, ait, eundem populum imperatorem & portitorem eſſe terrarum. quod eſt, non debere portitorum more populum illum conſectari vtilitatem, qui principis nomen conſectatur. Tandem & ducatur, quod Auguſtinus docet. c. IX. XXVIII. q. I. et hoc ipſum eſt, honeſtatis cauſſa remittendum, & quod licitum, & quod cõmodum parti foret. honeſtumque eſſe hic definit, quod habet vſum oportunum: non honeſtum, quod vſum habet non oportunum. vt ipſe exemplis explicat. inoportunus ſanè vſus poteſtatis, qua cęſi Iudęi ſunt, quòd aquilam Romanam ferre ſupra templi ianuam non potuerint: cum eorum religio nec in territorio toto imaginem vllam tulerit. Ioſe. lib. antiq. XVIII. c. V. & de be. Iud. lib. II. c. IX. et c. XII. quid dum in adita templi noluit Antiocus penetrare? Hæc nemo non credit, licere victori-

victoribus, & commoda esse potuisse. idem, & quod Romani haberent in Iudæa custodes, & omnem Iudæum ibi receptum capitæ plecterent. Iust. martyr in apol. I. sed honestè Romani aliàs, qui eaque templi septa sibi intercluserunt. Ioseph. lib. VII. de be. Iu. c. IIII. & liberam, tutamq; religionis exercitionem dederunt, quæ nihil præterea mali contineret. & tantum voluerit Augustus, tantum Alexander Seuerus, alijque: vt apud Philonem leges in oratione ad Caium, & apud Lampridium, alioſq;. tantum cum Christianis Antoninus, tantum Marcus voluit: vt in huius epistola apud Iustinum martyrem legitur. Et hanc sanè definitionem puto verisima. quam & Ciceronis firmat disputatio. & est expressa pro ea lex vigesima secunda in titulo Digestorum de iure fisci: vbi quod durum, etsi etiam dignũ & vtile, recusat diuus Pius: cõtra quam facere Vlpianus videatur in L. XII. D. qui & a qui. sed victori, ne quid dicam

aliud, principem ſequi, non iuriſconſultum, conuenit. Suſcipit tamen limitationem definitio in ea vtilitate, quæ ſpreta periculum nullum ſalutis habet. nam ſi periculum adſit vel corporum, vel fortunarum, honeſtati vtilitatem præferemus: *Salus populi ſuprema lex eſto.* Et ita rectè ille, vtile anteponendum ſuadet Ioſe. lib. III. de be. Iu. & ſenatores illi, qui inſanorum eſſe dicebant, decoro magis, quàm ſaluti conſulere. Dion. lib. VI. & Lentulus, qui in bellis ſolam immo vtilitatem ſpectari adſerebat apud App. in lib. de be. Pu. nam de vtilitate cum ſalute iuncta loquuntur.

De pace futura conſtituenda.

Et de his hactenus, quæ victor in vlciſcendo poteſt, dum præterita intuetur. quanquam & multa ſunt aptáque futuris; de quibus ſequitur diſceptatio: quia duas præſtare res vltio ſoleat, iniuriæ ſolatium, & in reliquum ſecuritatem. vt inquit Seneca lib. I. de cle. Eſt tamen vltio præteritorum, vnde & Mars vltor dictus; vindicta, ſiue vindicatio futura

dicitur

dicitur prohibere: ſi Cornelio Frontoni credas. Eſt verò in parte hac, ſicut in altera, victoris arbitrium, quod cuncta diſponit. vnde rex Romanus in pacis conditionibus definiendis victos ſecum diſceptare non patitur, ſed ſe totius arbitrum fœderis fert. Diony. lib. III. & vetuſtum hunc Romanorum morem teſtatur Liuius lib. XXVIII. cum quo fœdere nec æquis legibus iungerentur amicitia, non priùs in eo imperium tanquam pacatum vti, quàm omnia diuina, humanáque dediſſet, obſides accepti, arma adempta, præſidia impoſita forent. Et hoc eſto conſtitutum. Sequitur verò vt eam det pacem victor, quæ eſſe perpetua valeat. illa ſiquidem eſt pacis natura, vt ſit perpetua. induciæ ſunt in quotuis annos. *Romanis & Latinorum populis pax eſto, dum cœlum & terra ſtationem eandem obtinent*: ea pacis formula Diony. lib. VI. quam & alij vſurpaſſe videntur: vt leges in Herodoti Melpomene. ſed ibíque leges Barcæos

deceptos a Persis nequiter. Ergo erit victor iniustus, qui pacem nec pacem tribuit; id est eam, quæ durare non queat, non queat pax esse. Sed quæ pacem facere perpetuam possunt? vna sanè occurrit ratio solida, æquitas: quæ seruata in vltione sit. & seruetur modò in vindicatione, et futuri conditionibus edicendis. nam supra meritum lęsus concupiscet vindictam: et legibus oppressus durioribus, durabit sub onere tantisper, donec obtemperandi cesset necessitas. quicquid scilicet necessitate fit, non durat, sed citóque soluitur. quod legati Romani aiunt Diony. lib. VIII. et alij alibi, et ipse docet naturalis intellectus, et magistra rerum omnium experientia monstrat. Sic ergo Priuernatum ille legatus, Liuij libro octauo, perpetuam ait suos seruaturos Romanis pacem, si isti æquam dedissent: non aliàs, nisi vires rebellandi dessent. Quæ porrò hęc sit, quam quęrimus, æquitas, cum ex supradictis patet, tum ex facto

Quæ possit pax durare.

potiùs

potiùs videndum fuerit, quàm vt quid constitui generaliter possit. alia enim atque alia danda pax est, prout alij victi, atque alij, alij atque alij victores erunt. idem & de accessionibus, quæ comitari personas solent: & ipsæ non minus considerari ac personæ consueuerunt. At omnia tamen referri posse videntur ad communem vtilitatem, quam verè vinculum maximum ait Annibal, Liu. lib. XXXVI. & Demosthenes in oratione ad Phi. ep. quamque pacis finem nos diximus. Si quid extra induci solet, quo pax firmetur, id infirmius video vinculum, quàm vt malè materiata obligari, & contineri amicitia possit. receptum scilicet omnibus est, præsentibus occasionibus aptare debere se, & prudenti adulatione sequi inconstantiam rerum: quia omnium deliberationum auctor potentissimus commodum. itaque fœdera inire noua, relinquere priora, omni modo augere imperium, & potentiam volunt. occasionem

nem valere ſatis, & ſine iuſtitia confice-re quod expediat, dixit Hyperides in o-rat. de fœd. Alex. & nullus eſt, qui non probet. Age, quid adfinitas? firmum hîc vinculum dicitur Herodia. lib. I. Caſsiod. lib. V. ep. XLIII. ſed nemo neſ-cit tamen, rem ſæpe aliter cadere. atque ego multa facilè comportarim exem-pla. nec verò quod eſt debilius, con-ſtringet appetitum regnandi vehemen-tiſsimum, & libertatis: propter quem rupta hæc toties fœdera adfinitatis, & Seneca ſcribit lib. VI. de benef. Quid iu-ramenta? & hæc ad fœdera adhiberi ſancienda, ſolitum audimus Herodoti libro primo, & in Decretis c. I. XXII. q. I. verè tamen in ſententiam noſtram Auguſtus, Quæ ſponte fiunt, ea etiam citra iuriſiuradi vinculum obſeruantur: at quæ fiunt ingràtis, non ſi millies iu-ratum ſit, præſtantur. Dio. lib. LIIII. & ſunt ſemper exceptiones vulgares pa-ratæ, quibus iuramenti cuiuſlibet ele-uentur vires. ſed quid proſequimur ſin-

gula

gula? ſapienter noſtri in vniuerſum docuerunt, cautionem omnem fragilem eſſe. L. LXVI. D. ad Treb. L. XIX. D. comm. L. XXXI. D. de act. em. cum cæteris huius generis pluribus. certumque, & exploratum illud eſt, cogi in obſequium voluntatem non poſſe. vt apud Dionem benè legitur lib. XLVIII. & LV. et ſemper verum, quod ſcribit Tacitus, in victores victoſq; nunquam ſolidam coaleſcere fidem. lib. XVIII. adeóque manere inter illos bellum æternum, quia timeantur potentiores, & laborent inuidia: vt ait Cæſar Dioniſ lib. XXXVIII. apud quem ſapientiſsimum ſcriptorem libro ſequẽti, dictúmque, res duas iſtas, timorem et inuidiam eſſe, quæ amicitias diſſoluant. et eas etiam eſſe inter pares. Itaque vel ſupradicta æquitas, et vtilitas communis cõſectanda eſt, vel ad alterum quaſi extremum abeundum, ſalubréque (ita in c. I. de pœnit.) remedium veniendum, vt quando voluntas auferri mala non po-

teſt, faciendi malè facultas auferatur. Et non hæc facultas ex præſenti eſt tempore metienda, ſed et ex futuro, eóque longinquo. vt cenſet rectè Demoſthenes in oratione pro Megapolitis. Ea fragilitatis conſcientia, vnà et pœnæ timor duo illa ſunt, ex quibus omnia ferè iura humanitatis oriuntur, quibus inter nos cohæremus. vt præclarè Lactantius. c. IIII. de opif. Dei. Atque hîc ſi ſibi cauet victor, ne quid voluntati deuictorum relinquat, accuſari non poteſt iuſtè, quia et inanis timor probetur in eo, quod ab aliena voluntate pendet. vt acutè Angelus ad L. quia poterat. D. ad Treb. ſpem ſcilicet tenuem, et obſcuram præbent hæc, quæ in aliorum ſunt poteſtate. Ergo præſidia imponet victor, quæ humiles ſcilicet, et maximè ſubiectos reddere victos ſolent. vt Cyrus cum Babylonijs cenſuit, Xenop. VII. et alij paſsim Obſides exigentur, et hi, qui chariores ſunt victo, ſiue hi viri ſunt, ſiue fœminæ. namq; fœminæ da-

tæ

tæ règi Porſenæ; exactæ ab Auguſto, qui negligi mariũ pignora ſentiebat. vt Suetonius ſcribit. ſed chariores tamen eos putem magis, qui libertati adſerendæ, & regno ſunt aptiores. nam ius hoc regni, & libertatis quauis charitate potentius. quod ſanè vidimus & in Franciſco primo Galliarum, qui optione accepta, an filios obſides, vel nobiles quoſdam duces Carolo Cæſari traderet, filios maluit. Verùm ad politici fines accedimus huiuſmodi tractatione, & a noſtris diſcedimus. Ergo diſceptationem iſtam ita concludo, licere victori, iure naturæ ſaluo, omnia facere, quæ ſtabilem ſibi victoriam, & iuſtam firmare parti vtrique valeant pacem. Et prior abſoluta pars eſt commentationis totius de pace, quam victis victores imponunt. Altera erat pars de bello componendo ab vtroque belligerante. Sed quid de iure hoc conueniendi dicemus, ſi voluntatis ſunt omnes conuentiones? illud ſcilicet, quod vbique obtinet, agendum

De iure conueniendi.

ita, vt perpetua pacis conuentio esse posſit, quod probè Tullus in conueniendo cum Albano duce monebat, non tam cogitandum de ſancienda in præſens amicitia, quàm ne relinqueretur in poſterum vlla renouandi belli materia.

Duellum. Diony. lib. III. At commodùm ſanè cadit Tulli mentio hîc, & tractatus eius, quem de pace ineunda cum Albano habuit. rex enim Romanus conditionem proponebat, vt duces ipſi populorum certamine dimicarent ſingulari de imperio, quod vtrinque quærebatur: & ita finis bello imponeretur. An iuſta hæc finiendi belli conditio? Non huc adfero noſtrorum interpretum diſputationem, qua & determinare videntur, reprobatum iure duellum eſſe, in quo ſoleat ſæpe & is ſuccumbere ſcilicet, cuius cauſſa erat iuſta tamen. nam maius malum vt vitetur, & ad reipublicæ ſalutem iuſtum & illi volunt. vt per Dec. conſ. CDLXXXVII. In quæſtione. vbi & Molinæus. Atque ea etiam

etiam ſpectat diſputatio ciuiles, non controuerſias bellicas. in bellis quippe certamina ſingularia paſsim. Et ita finitum bellum illud inter Romanos, & Albanos ternorum certamine: binorum inter Ætolos, & Eleos. Pauſ. lib. V. ita ad finiendum a trigenis Lacædemonijs, et Argiuis certatum olim, refert Herodotus in Clione. & quæſtionem ſubortam narrat de victoria tamẽ, quod nox cum prælium diremiſſet, & duo ſupereſſent Argiui, Lacon vnus: illi victoriam ſuam pro maiori ſuperſtitum numero dicebant: Lacones ſibi vindicabant, quoniam ſuus, hoſtibus abeuntibus, et admanſiſſet, et ſpolia collegiſſet. Atque Lacones mihi vera locuti videntur. quoniam qui locum retinet pugnæ, is victor credatur. quod ſi vtrinque diſceditur, tum vnus, qui ceciderit ampliùs ab vna parte oſtendere hanc victam poteſt. vt apud Liuium eſt exemplum. Et hæc tamen ſic accipias, niſi vna pars ſuorum cadauera repetat

ad ſepulturam: nam eſt receptum conſuetudine, vt hæc etiam victa cenſeatur. Plut. in Nic. et in Lys. et Iuſt. lib. V. At redeo ad quæſtionem. Recuſare principes conditionem poſſe videntur, vt ipſi pugnent: quia ducis nō ſit, militis mortem obire; quæ hæc foret. vt Plutarcus pro Metello notat, qui propoſitam a Sertorio cōditionem refugit. Auguſtus, prouocatus ab Antonio, reſpondit, patere huic multas ad mortem viaſ. Plut. in Anto. Sed et Albanus reſpondebat Tullo, periculoſam huiuſmodi aleam, nec decoram ſatis aut victis, aut victoribus eſſe: ſed nec ſubeundam quoties nō reges ſibi potentiam quærunt, verùm ciuitates ipſæ de principatu contenderent. Diony. lib. III. Et iſtam ego partem magis probo. ita indictum certamen inter Franciſcum Galliarum et Carolum Cæſarem pro controuerſijs perſonalibus. ita pro regno factum idem inter Alfonſum, et Renatum. Coll. lib. VI. et pro regno item inter reges illos,

de

de quibus tradit Pauſania in Atticis. Et hæc erit de regno legitima pugna, non vt regno legem imponat, niſi populus aſſenſus eſt; vel is populus eſt, quem alteri ſubijcere rex pro arbitrio poſsit: ſed vt ſuum ius regis adſerat contra alium, aut amittat, & transferat in victorem. Neque enim quidlibet rex quilibet poteſt. ecquid enim rex hoſtium potitus? hunc pacem conſtituere non poſſe ait Decius, quia in metu verſetur. & inſuper addit, pacem initam nec obligare vel ratam habitam a reuerſo in regnũ, ſi obſes aliquis relictus, pro quo ſolicitus rex magis ſit, quàm pro ſe fuerit. ita conſ. CCXIX. quia promiſsis metu non ſtandum. et de ciuitate iurante, coacta metu, idem conſ. DCXC. Viſis. Ceterùm hæc ego nõ ſum ſecutus alia commentatione. Ad regem captiuum quod attinet, id verum puto, ſubditos ei obtemperare, non eſſe neceſſe. & ita Alfonſus ait captiuus. Coll. lib. VI. & Scoti perſpicuè, ſe ei non parituros, qui in alienа

Princeps captiuus.

ena poteſtate eſſet. Bucc. lib. X. & de regibus Galliarum Ioanne, & Franciſco alij adnotarunt. De obſidibus hîc quæritur, an ipſorum datione qui dimittitur princeps ita liberetur, vt ſi non præſtet, quod eſt pollicitus, violatæ fidei reus ſit, & non putat Bodinus reum lib. V. de rep. c. VI. quia obſides fideiuſſores ſint. vt luant ipſi, ſi à pactis diſceditur. item quia ab hoſtibus captiui tametſi fidem dederint, nulla obligantur pœna periurij, ſi vinculis aut carceribus retinentur, & fugerint. L. nihil intereſt. D. de capt. L. I. §. non fuit. D. de do. At iſta mihi definitio non probatur. nam etſi iniquum cenſeatur pœna ſoluta rem petere. L. IIII. D. de do. exc. hîc tamen, vbi publicæ diſciplinæ rigor vertitur, vtique nec tolletur hoc modo, quod ciuiliter debebatur. L. IX. D. de publica. & non eſt par ratio fideiuſſorum pignorúmue, & obſidum: quoniam illi idem præſtant, quod reus præſtare tenetur; itaque ſi minus præſtant,

Obſidum datio.

reus

reus in reliquo obligatus manet: hi tale nihil. Sed nec ſimilis eſt caſus captiuorum: quia hîc rex dimiſſus, cui & creditum eſt: aut ſi creditum non eſt, quòd obſides reliquerit; ſanè nec ijs creditum dicitur, quibus creditum ſub pignore, ſub fideiuſſoribus eſt: quod abſurdiſſimum eſt dicere. captiuis autem illis creditum omnino non eſt: itaque nec fallunt, & nec dolum malum admittunt. at verò ſi captiuis creditum ſit, hi nec fallent iuſtè. & iniuſtiſſimi ſunt Græci quidam, ſi verum eſt, quod narratur, qui iuſſi a regina liberi eſſe, & ex Hibernia in Angliam venire, vnde in ſuas terras diſcederent, ipſi nautas nauémque abduxerunt, & tetriora forſitan perpetrarunt. hos hoſtis, aut quiſquis alius remittere tenetur: nam itaq; Romani Cloeliam, & Annibalis captiuum remiſerunt. Liu. lib. XXXII. & ius poſtliminij huiuſmodi denegarent, qui pacis commercia, & belli iura violant. veriorque illa ſententia eſt, teneri prin-

cipes principibus mutuò dedere delinquentes: quia & magiſtratus magiſtratibus tenentur. L. VII. D. de cuſt re. L. VII. C. de def. ci. L. VII. §. vlt. D. de accuſ. aut ſi principes principibus non tenentur, quid erit contra ius gentium, ſi hoc non eſt, alienos homines ſuſcipere? ſuos nequiter agentes ſuſcipere? ſcilicet aſyli ius non Romæ aliàs apertum, ſed vbique ſemper eſt, fuitque. & bella cur geſta toties ob priuatorum iniurias, quibus ſatisfactum publicè non eſt? At pergamus porrò. In reliqua diſputatione iſta, qua de pace agimus incunda, id nobis agendum reſtat, vt videamus iſtius contractus naturam. nam quid deduci in eum oporteat, hoc ipſi viderint contrahentes. & eſt verò politici muneris id, non iuriſconſulti. videbimus tamen quædam, quæ deduci conſueuerunt, vt ex quibus iuſtam huius contractus interpretandi rationem indicemus. Et contractus omnes cum principibus, cum rebuſpublicis eſſe bonæ fi-

Contractus pacis bonæ fidei.

dei,

dei, receptiſsimum eſt. Dec. conſ. IIII. & conſ. CLXXXVII. Chaſſ. in cata. par. V. conſid. XXIIII. vt de hoc noſtro fœderis minus ſit dubitandum; quod a fidequidam ducunt. Iſido. lib. XVIII. vt feudum. & in quo bonam fidem ſummum tenere locum, diſertè, et ſanctè Petrus Medices dixit, Guicc. lib. I. Atq; in eiuſmodi contractibus non admitti diſputationes ſubtiliores, deque apicibus iuris, quæ æqui & boni ratione prætermiſſa res examinare ad viuum ſolent. adi L. XXIX. D. ma. & L. XXXI. D. depo. Conuenit ergo, vt pars vtraq; eam ſimplicitatem, integritatemque ſeruet, quam ſibi ab altera ſeruari velit. quod Iuſtinianuſque ed. VII. & quales iſti eſſe debent contrahentes, tales & ſint: quia & tales ſcilicet præſumuntur. vt de Baldo ſcribit Decius conſ. XCVII. Cum itaque fraudes omnes in contrahendo abeſſe, tum exceptiones ſubtilis iuris ceſſare omnes ad contractum debent: eæq; tantúm locum haberre, quę

principem prorſus deceant. Metus exceptio non decet principem. non admittitur in hoc negotio. Fraudis exceptio admittetur, quia fraude vti in contrahendo non oportuit. Etenim non ſunt in conueniendo hoſtes, ſed pacis negotium agunt. vt nihil hîc L. I. D. de dol. & eſt fœdior etiam fraus, quàm vis aperta, quoniam iure potentiæ hæc, fraus autem inſidijs iuſti propoſiti graſſatur. vt rectè apud Thucid. lib. I. & IIII. Erroris etiam exceptio admitti debet, ſi verum eſt, nihil eum agere, qui errat. L. CXVI. in fi. D. de reg. iu. & demens ſit, qui fidem præſtat errori, vt ſcribit Seneca lib. IIII. de bene. Item & excipitur probè de rerum ſtatu immutato, ſi præuideri immutatio nequijt: quia ſubintelligi iuramento quoque adiecto ſoleat clauſula, Rebus ſic ſtantibus, vt traditum a noſtratibus eſt, & a Crauetta conſ. XXVII. *tunc fidem fallam*, inquit Seneca, *tunc inconſtantiæ crimen audiam, ſi cum omnia eadem ſint, quæ erant promit-*

promittente me, non præstitero promissum: alioqui quicquid mutatur, libertatem facit deintegro consulendi, & meam fidem liberat. Generaliter verò illæ omnes exceptiones admittentur, quæ pactum initum contra naturalem rationem infringerent. nam in malis promissis fidem seruare non oportet. c. LXIX. de reg. iu. in VI. & minus malum de duobus eligendum est. dist. XIII. Atque hæc satis. Illa autem translaticia in isto contractu, vt de legibus, consuetudinibus, libertate, agris, locis, ædificijs, amicitijs, armis, exercitibus, classibus, arcibus præsidijs, alijs huiusmodi rebus caueatur. quæ pleraque notat omnia, sed & alia Sigonius lib. I. de ant. iu. Ita. c. I. De legibus caueri olim solitum, vt quisque viueret suis. quod æquum fœdus erat. & si comprehensum fuisset, vt alter alterius maiestatem comiter conseruaret: tum de libertate nihil, de æqualitate multum minuebatur. L. VII. D. de capt. & Sigonius latiùs explicauit. Hoc ego pacto

De quibus caueatur in fœderibus.

De legibus, et libertate.

principem prorſus deceant. Metus exceptio non decet principem. non admittitur in hoc negotio. Fraudis exceptio admittetur, quia fraude vti in contrahendo non oportuit. Etenim non ſunt in conueniendo hoſtes, ſed pacis negotium agunt. vt nihil hîc L. I. D. de dol. & eſt fœdior etiam fraus, quàm vis aperta, quoniam iure potentiæ hæc, fraus autem inſidijs iuſti propoſiti graſſatur. vt rectè apud Thucid. lib. I. & IIII. Erroris etiam exceptio admitti debet, ſi verum eſt, nihil eum agere, qui errat. L. CXVI. in fi. D. de reg. iu. & demens ſit, qui fidem præſtat errori, vt ſcribit Seneca lib. IIII. de bene. Item & excipitur probè de rerum ſtatu immutato, ſi præuideri immutatio nequijt: quia ſubintelligi iuramento quoque adiecto ſoleat clauſula, Rebus ſic ſtantibus, vt traditum a noſtratibus eſt, & a Crauetta conſ. XXVII. *tunc fidem fallam*, inquit Seneca, *tunc inconſtantiæ crimen audiam, ſi cum omnia eadem ſint, quæ erant promit-*

promittente me, non præſtitero promiſſum: alioqui quicquid mutatur, libertatem facit deintegro conſulendi, & meam fidem liberat. Generaliter verò illæ omnes exceptiones admittentur, quæ pactum initum contra naturalem rationem infringerent. nam in malis promiſsis fidem ſeruare non oportet. c. LXIX. de reg. iu. in VI. & minus malum de duobus eligendum eſt. diſt. XIII. Atque hæc ſatis. Illa autem tranſlaticia in iſto contractu, vt de legibus, conſuetudinibus, libertate, agris, locis, ædificijs, amicitijs, armis, exercitibus, claſsibus, arcibus, præſidijs, alijs huiuſmodi rebus caueatur. quæ pleraque notat omnia, ſed & alia Sigonius lib. I. de ant. iu. Ita. c. I. De legibus caueri olim ſolitum, vt quiſque viueret ſuis. quod æquum fœdus erat. & ſi comprehenſum fuiſſet, vt alter alterius maieſtatem comiter conſeruaret: tum de libertate nihil, de æqualitate multum minuebatur. L. VII. D. de capt. & Sigonius latiùs explicauit. Hoc ego pacto

De quibus caueatur in fœderibus.

De legibus, et libertate.

non putem ea comprehensa, quæ naturalem læderent rationem: propter quam læsam & bella susci pi, & a pactis abire, licitum adseruimus. Ad leges quæstio est & de priuilegijs, si quid datum in priuilegium est, num pro arbitrio dãtis recipi possit. Et Galliarum rex ita credidit, qui omnia vt priuilegia Genuensibus reliquit, pacta esse noluit, vt in sua potestate foret, ea reuocare. Guicc. lib. VII. Hispanus modò cum Lusitanis paciſci recusauit, at ipsis priuilegia vltróque obtulit. sed censebat hoc esse principis munus, cum subditis non paciſci. Romani id addere priuilegijs soliti, His fruerentur, quibus dabant, quamdiu populus Romanus voluerit. animaduertendum est tamen, ne pretio datum priuilegium sit. nam reuocari eo casu non poterit: quia contractus est. Dec. consil. DCIIII. idem si alia ratione pars contractus est. De agris, locis, ædificijs illud aio, manere hæc in potestate eius, qui tenet, nisi cautum de ipsis est aliter.

De agris, & postliminio.

et

et ita ridet Darium Alexander in pacis condicionibus concedentem ea, quæ tum tenebat. ita indignatus Annibal, vænalem fuisse agrum Romæ, cui cum exercitu insidebat. nam hæc capta, pede calcata,& adquisita nec redeunt in pristinum dominium nisi expulsis hostibus. L. XX. D. de capt. et pari ratione nisi conuentum de captiuis, & alijs rebus sit, manent omnia in potestate hostium. L. XII. eo. vbi cum Fabro *nihil* mutes in *id.* neque enim refugere licet in pace. L. XXVIII. nisi si quis non a iusto hoste, sed ab externo captus est. L. V. aut captus,qui in pace ad alteros peruenit, & bellum subitò exarsit. L. XII. & licet populi Romani virtuti hoc adscribatur, vt in pace nõ sit admissũ postliminium:est tamen ratio communis, quòd quæ bello quæsita sunt, ea absque iusto alio titulo non possint eripi. nec is titulus in pace hîc est. Alibi,vbi postliminium denegarur,non gentiũ,sed ciuitatis ius spectatur. ita denegatur trãsfugis.

gis. L. XIX. quos tamen recipimus iure belli. L. LI. D. de adq. re. do. ita naues quædam, arma veſtes non recuperantur prioribus dominis. L. II. et III. D. de capt. in quo differunt mobilia hæc ab immobilius. d. L. XX. nam immobilia etiam ſine culpa amittuntur, cum in tutum portari nequeant. At verò Iuſtiniani pragmatica reſtituũtur armenta prioribus dominis. et generaliter omnia iure canonum. c. prima. XVI. q. III. & c. I. XXXIIII. q. I. ſed ſecundùm primum ius, ad rem, quam moneo, idem de his, qui victi ſe dedunt, vt poſtliminio careant. L. XVII. D. de capt. quod preſtantiſsimè explicatum de Homero: qui barbaros dedentes ſe facit, Grecos ſe dedentes facit numquã: vt Plutarchus obſeruat in lib. de aud. poë. Et Niciæ itaque nomen monumentis quibuſdam non inſcriptum, quia ille ſe dediderit hoſti. adi Pauſ. in Atti. creditum verò victores etiam eos eſſe, qui in acie cecidiſſent. quod Demoſt.

most. in ora. fun. Ergo mori barbari-
coinfenſiſsimique Romani: vt admira-
biliter in captis ad Cannas oſtenderunt.
Idem et de his, qui non dedunt ſe victi,
ſed deduntur, hoſtibus vt ſatisfiat, qui-
bus illi obſtricti ſint. qua in re tamen
iactata quæſtio. L. IIII. eo. L. vlt. D. de
lega. et Cic. in Top. Sed de his hactenus.
Amicitia ſi contrahitur, aut conueni- De amicitia, & ſocietate.
tur, ne contrahatur cum alijs: hoc ego
nomine non leue quiddam ſignificari
declaro ad L. CCXXIII. D. de ve. ſig. et
miniſteria quædam deberi, ſignificatur
palam fœdere a Romanis contracto
cum Lacædemonijs, vt eſt apud Stra.
lib. VIII. Itaque non ſequor Bodinum,
qui auxilia nulla deberi cenſet lib. V. de
rep. c. vlt. qui & perpetuo Romano-
rum iudicio refutatur, cogitantium ne-
ceſſaria ſibi pro amicis bella: & quia,
quid aliàs tribuat iſtud nomen non ap-
paret, ſi auxilia non tribuit. niſi ſcilicet
aut cum externis ea contracta fuiſſet, id
eſt cum his, qui natura quaſi hoſtes ha-

bebantur,

bebantur, aut cum his, quibus cum bellum gerebamus: nam cum illis restituta naturæ vera amicitia, cum istis ipsa, quæ ante bellum communis erat, nihil præterea videbitur. non enim si intercesserat amicitia aliqua priuata, hæc restituta credetur communi verbo, quæ dissoluta per bellum fuerat. Si societas præterea iuncta sit, tum non dubium deberi auxilia: aut quid venit in communionem? & quis socio non auxiliatur? solent principes tamen disertéque de quibusdam pacisci. & id est cautius, adque summam auxiliorum cognoscendam. Sed quid si cum pluribus contracta amicitia est, & illi inuicem bellum gerant? auxilium priori fœderato ferendum scribunt, nisi quod arctius fœdus proponitur, aut posterior non in amicitia modò, sed & in ditione sit. et hoc ego vltimum probo, & factum Romanorum, qui contra Samnites socios veteres pro Campanis nouis, dedititijsque bellum suscipiunt. ac ratio est expedi-

expedita, quòd ſe, ſuaque adſererē contra ſocios, & alios quoſque licet. nec reprehendas Romanos, qui Campanos in ditionem ſuſceperint, iam iam a Samnitibus ſubigendos, bello certè grauiſsimo preſſos: nam Samnitibus tamē nec tantum quæſitum iuris, quātum ei, qui feram beſtiam ita vulnerauerit, vt capere poſsit; cuique nullum eſt. L. V. D. de adq. re. do. De primo autem dubito. nam ſi vtrique auxilia debentur; nec tempus facit quidquam, quia inter creditores perſonales nullum eſt temporis priuilegium. L. VII. D. depo. L. XIX. D. de re iud. Dy. in c. qui prior. de reg. iu. in VI. nec fœdus arctius, quia res inter alios acta nemini damno eſſe poteſt. Quid ergo? vtrique auxilia præſtabuntur? vtique, ſi illi inuicem non bellum gererent. ſcilicet et recipient auxilia diuiſionem. quod & cum alijs fit creditoribus. etiam duorum ligius alteri ſeruit per ſubſtitutum. §. firmiter. de pro. al. fe. per Frid. et a-

pud Cuia. lib. IIII. Feud. tit. XCIX. quod si illi inuicem bellũ gerant, impedient hîc se mutuo; nam auxiliaris suas inuicem committere copias, suos ciues non debet. si auxilia forent alterius generis, tum vtrique afferentur. Hæ solidæ definitiones: quicquid statuant diuersum nostrates. At iam de armis, exercitibus, classibus. Armorum nomen latissimum est, vt expono ad L. XLI. D. de ve. si. sed in armorum hoc nostro iudicio de legitimis bellorum capimus: quæ qualia sint, ibidem explicamus. de his igitur cautum existimabimus, si quid de armis exprimitur in conuentione pacis: puta, ne armorum apparatus fiat: ne arma ad hostes deferantur. Exercitum verò quomodo definiemus? numquid numerum mille hominum? L. I. D. de test. mil. alibi legio exercitus: duæ legiones alibi, & auxilia. sed hæc incerta sunt. ex officijs ergo, signis, maioribus tormentis, & machinis cognosci res ista meliùs potest. nam habentur

De armis, et classibus.

tur in exercitu, non alibi. Classem quoque certo numero nauium determinare, ineptum sit: qualitate nauium, aptum. Hyperides violatum fœdus dicebat, quòd vel vna triremi in Piræum Macedones appulissent. scilicet vt classem non faciat nauis vna, lex tamen pacis in vna non minus potest intelligi, quàm in homine vno quod interdictũ proponitur de coactis hominibus armatis. de quo Cic. in ora. pro Cæc. & Vlp. in L. I. §. IX. D. de vi & vi arm. nec enim callidè verbis controuersias, sed æquitate dijudicamus: & iura non litteris exprimimus, sed vtilitate communi. Hîc notandum est & illud, quod Argiui cum Athænienſibus olim expostularunt, vt quando in fœderibus scriptum esset, ne vtri per ea loca, quæ suæ ditionis essent sinerent hostem transire; Athænienes suo mare permisssent transire Spartanos hostes. Thucid. lib. V. probè: quoniam mare adiacens pars ditionis. vt nuper definitumque est in se-

natu Pedemontano. ne quid dicam de Venetis, alijſque, qui maria integra ſibi vindicarunt. contra Venetos quærela ſimilis regis Galliarum quærelæ Argiuorum. Guicc. lib. V. Sequitur de arcibus, & præſidijs. Atque Romanorum imperatorem inter, & regem Perſam conuentum, ne arces in finibus ædificarentur. Procop. lib. I. de be. Perſ. nam ſunt iſta caſtra militaria: quo & appellantur nomine, vt Scipius meus in Originibus obſeruauit. itaque citra vllum etiam pactum, iuſtitiæ fuerit iſtiuſmodi nihil facere: quia caſtra admouere alienis quaſi foribus non iuſtum, etſi in ſuo. Idem & de præſidijs. ſed de præſidijs quid eſt, quod ait Polybius libro ſecundo, dimitti ipſa incolumia a victore hoſte? Et eſt fortè ratio, quod hi hoſtes non ſunt, etſi hoſtibus inſeruiant, & opem ferant: nobis æquè ac hoſtibus prompti, pecunia conducti. aut antiquæ illius ſimplicitatis id eſſe dicamus: quam Italiq; tenentes auorum noſtro-

De arcibus, & præſidijs.

rum

rum memoria nouum cenſuerũt, quod Galli præſidiarios iſtos ad quoddam Florentini imperij caſtellum, & aliud Piſcaurij cæcidiſſent, Guicc. lib. I. Ergo hoc hodie ius non ſeruatur: niſi ſi quid priuilegij Germani habent. Et itaque paciſci conditiones ſolitum. Exire iuſſi cum veſtibus quidam, exeunt armis inſtructi omnibus, quæ militibus veſtes adſerebant. ſed ea cauillatio. Plut. de cla. mu. et veſtes alia ſunt. L. XXIII. et L. XXV. D. de au. & arg. leg. vbi tamen & numerantur, quæ ſermone, quo vtimur, hodie non continerentur, tapeta, tegimenta ſubſelliorum, culcitæ, pelles: de quibuſque pro Vlpiano dixi contra Cuiacium ad L. XLV. D. de ve. ſi. Exire iuſſę mulieres, & aſportare ſecum, quod poſſent, aliæ viros, aliæ filios, aliæ parentes, alię fratres humeris vehunt. pia fraus. Tarc. lib. XII. nam quæ animalia ſunt, ducuntur, aguntur, non portantur. L. CCXXXV. D. de ve. ſi. Hæc, aliâque diſponi ſolent pactionibus fœde-

fœderum, & pacis. ſed de his exempli cauſſa breuiſsimè egiſſe ſatis. Fœdere inito quæri hoc in primis conſueuit, ſi ſucceſſores, de quibus nihil eſt expreſſum, contineantur, & obligentur. Et hæc quis putet, quia heredem cenſeriq; nominatum, vel ſi pro ſe tantùm polliceantur contrahentes, notum ſit: & id genus reliqua vulgaria. ſed hoc tamen in articulo diſtinguendum eſt, an tranſactum ſolùm de bello ſit; an etiam amicitia, ſocietas contracta. & priori caſu ſucceſſores obligati penitùs cenſeantur: nam eorum, qui tranſigerunt, id iuris erat: & iniuriarum tranſactio cenſetur in perpetuum facta: quod Alc. de præſ. reg. II. in fi. Caſu poſteriori videtur, ad ſucceſſores ius ſocietatis non tranſire, quia itaque in priuatorum ſocietatibus definitum eſt, ne eæ tranſeant ad ſucceſſores. & ratio communis noſtróque argumento, quoniam perſonæ qualitas conſideratur in ſocietate contrahenda, & illa in ſucceſſores non tranſit. & ita

De ſucceſſoribus.

ſanè

ſanè ius amicitiæ, et ſocietatis tributum a Romanis ſæpe, in ſucceſſorem eius, cui tributum fuerat, non tranſibat. Quinimmo definitum inter priuatos eſt, vt ſocietas ad ſucceſſores non pertineat, etiam ſi de ipſis id cautum, vt pertineret, & conuentũ fuiſſet. L. XXXV. D. pro ſoc. Sed id in propoſito noſtro non cenſeo: namque in ſocietate vectigalium, & vbi vtilitas, ac negotium publici agitur, obligari hoc modo ſucceſſores, receptum eſt, & adſerit Dec. conſ. CCXIII. Viſis. Immo ſi de populis agitur, ſucceſſores ſemper continebuntur: quoniam iſti ijdem ſemper. principes mortales, æternæ reſpublicæ. Tiberius apud Taci. lib. III. Et ita fœdera Romanis cõtracta cum Latinis vt perpetua eſſent, cum Pœnis, cum alijs. aut numquid dicemus ineptos contractus initos? indicat Demoſthenéſq; ius iſtud, dum ait Phi. II. etiam poſteros implicaſtis pace, &c. Non ergo fœdera iſta ſoluentur niſi morte (mortua

Cartago aratrum passa) fœderati populi, vel si forma etiam reipublicæ immutetur. Sic Sabini, solutos se fœdere cum Tarquinio icto, dicunt, Tarquinio pulso, monarchia sublata. Fidenates qui idem aiunt, mortuo Romulo: Latini, qui mortuo Tullo, & item Anco mortuo: Hetrusci, qui defuncto Prisco: Sabini, qui sublato Seruio, fœderibus se non teneri, contendunt, quæ cum illis regibus icerunt, malè agunt. nisi Sabinos & hîc defendimus, quia, vt ipsique narrabant, non rex Superbus successor Seruij, sed tyrannus: se autem cum rege prædecessore fœdus percussisse. quod Diony. lib. IIII. qui & reliqua lib. III. & V. & licet non laboretur, ne quis eorum, qui communibus fœderibus continentur, iniustus sit; sed hoc tantùm, ne alteri ab altero iniuria inferatur. quod Arist. lib. III. polit. tamen hîc dicitur, non eundem esse tyrannum & regem. nam vt subtiliter non sit ista reipublicæ mutatio: tanta est alteratio

tamen

tamen, vt nec nomen maneat, nec eadem dici respublica possit. toto tit. Dig. de exc. rei. iu. et si a nostrorum legislatorum, & præsenti argumento non discedimus, omnia pro vtilitate communi pinguiùs metiemur: & erit in prono deinceps mutationemque admittere. illud est certissimum, quod cum non idem facere, & pati apta sit persona tyranni, quod apta persona est regis, ille huius vicem non subibit. §. sin verò talis. C. de cad. toll. Verùm próque Fidenatibus, Latinis, Hetruscis dixerit quis, fœderibus in casu supradicto nõ degere obligatos, quia nec illi reges successores ex aduerso obligarentur: vt de Baldo, & Iasone tradit Bodinus lib. V. de rep. c. vlt. & negat Romanis Perseus, teneri se patris conuentionibus, Liu. lib. XLII. at æqualitatem seruandam ipse scripsi in proposito altera commentatione. Sed etsi non obligentur principes successores, eos tamen decere, contractibus præcessorum stare, dubium non est: vt per

Dec. conſ. CLXV. Viſo. & tu videris c. vlt. de reſcr. in VI. & c. XV. XXV. q. I. Sed ſucceſſoribus prorſuſque ſtare præceſſorum principum obligationes, definitum eſt, ſi regni nomine percuſſum eſt fœdus. c. III. de ſent. & re iu. in VI. item ſi contractus ſint ex natura, & cõſuetudine principatus, vt iſti ſunt, de quibus nos loquimur. quod Bal. ad L. I. D. de conſt. pri. Immo verò & omnibus ſtare contractibus ſucceſſores oportere, ſi non electione, at ſucceſsione veniunt, idem tradit in L. ex hoc iure. D. de iu. et iu. atque alij alibi, & Caratius in tract. de prin. verſ. CXXVII. & hic de eodem Baldo, priuari regno principem poſſe, patris non ſeruantem teſtamentum. verſ. CCV. Stabunt, vt diximus, ſi cautum & de ſucceſſoribus ipſis eſt. quid enim erit fœdere comprehenſum, quod non poſsit & a ſucceſſoribus præſtari? quod ſi quid id eſt, tum, vt nec veſtigalium tranſit ſocietas. Bar. in L. adeo. D. pro ſoc. Atque hæc ita ſunt.

pro-

probandum tamen est, quod fieri consueuit, vt fœdera cum successoribus renouentur. Illa autem de fœderis renouatione quæstio incurrit, si tacitè renouatum censeri possit. & in societate priuatorum certum est, eam renouari tacitè, quæ fuerit dissoluta: & renouari talem prorsus, qualis fuit. renouari porrò his actionibus, quæ admitti citra nomen, et ius nequeunt societatis. vt ab alijs acceptum probat Decius cons. DXLVIII. Visa. in foedere tamen duas inter inito ciuitates ad certum tempus, renouationē negat: et autores hîc quoque laudat idem Decius, cons. CDVII. Visis. Mihi, quæ sententia est de societate, ea et hîc placet magis: quoniam nec video hîc rationem diuersam: nec Decius quid habet, quod vrgeat. et loquor, quando foedus finitum esset. nam si de eo quærimus, quo successores teneri definiuimus, vtique non dubitandum, quin renouatum sit. Idem facilè asseremus in casu, quo morte vnius socij so-

Fœdus si tacitè renouetur.

 cietatem

cietatem reliquorum quoque diſsolui, traditum eſt, ſi reliqui in foedere pergant tacitè. Aſt de ſucceſsoribus abundè. Eſt verò altera quæſtio a foedere inito, ſi non vniuerſitas ſola, at ſinguli quoque vniuerſitatis foedere comprehenſi cenſentur, quum de ſingulis dictũ non eſt. et ſi priuati quid faciunt aduerſùs publicum, foeduſque, hoc non temerari, certum puto: et ſcripſi commentatione ſecunda. et ita foecialis Romanus, *Si defexit publico conſilio*, &c. Liu. lib. I. & ita Decius conſ. LXI. quod ſi Veneti promittant, aliquid non facere, promiſsio intelligatur, ne faciant vniuerſi. quia diſpoſitio, quæ plures vt vniuerſitatem reſpicit, non habet in eis locum vt ſingulis. & verò ſicut ſinguli non quęrũt vniuerſitati, etſi plures quid faciant. vt idem docet conſ. CCXXI. pariter nec nocere debent. Sin autem reſpublica facit aliquid contra priuatos, temerari fœdus opinor. ratióque diuerſi iuris eſt, quòd ſinguli nocere vniuerſitati

Singuli an comprehenſi.

ti non debent: quin verò non ipſa ſibi noceat vniuerſitas, vel priuatos lædendo, ius non eſt. aut quid obſtat, quominus carpendo ſingulos vniuerſi tollantur? Et hæc vt certa ſint, quęri tamẽ illud poteſt, quod ſit factum publicum. nam Polybius publicam a priuata iniuria diſtinguit magnitudine, & multitudine. lib. IIII. Hyperides contra, re parua, tritemi vna publicum factum cenſuit: quem nos ſecuti ſumus. Ergo publicum factum, quod publico factum conſilio. vt expreſsitque Romanus, qui de Annibalis facto in ſenatu rogauit Cartaginenſi. quid porrò publico dicatur conſilio factum, id noſtrates optimè docuerunt ad L. omnes populi. D. de iu. & iu. & tit. IIII. lib. III. eiuſdem operis, & alibi. Item quęri et de eo poteſt, ſi tamen vniuerſitas facto priuatorum irretiatur, quando illud ipſa factum negligit emendare. et non dubito, irretiri. et hoc in caſu Annibalis vidimus. & ita Meſſenijs illatum a Lacædemonijs bellum ob interfectorem Lacædemoniorũ non deditum. Pauſ. lib. IIII. hęc belli cauſſa Eleos

Publicum factum.

Si vniuerſitas negligit factũ priuatum.

inter

inter et Lacędemonios, quòd Lacędemonius ab Eleis habitus malè. idem lib. IIII. hæc Romanis cauſſa belli cum Teuca. hæc ſexcenta. Et ſi hîc repreſaliæ indicuntur, & bella: quanto magis læſum fœdus exiſtimabitur? Nec verò ſi expreſsè neget vniuerſitas læſis ſatisfacere, ſed et ſi longo tempore ferat, iniuriam fieri, fœdus publicum lędetur. vt hanc definitionem habet diſertè noſter Decius conſ. CDLXXXVI.

Iniuria cognatorum.

Vt autem priuatorum facto vniuerſitas aliquando illaqueatur: ita ſunt caſus, in quibus nec facto publico fœdus offenditur. Et hi ſunt, quum neque in toto, neque in ſingulo vllo vniuerſitatis, cum qua eſt foedus, offenſio eſt. Foedera non violari, patre violato, filio, fratre, alio, qui ad alteram partem non pertineat tanquam imperij ſubditus, ſed tantùm tanquam pater, filius, frater, cognatus, docuit Bodinus lib. V. de rep. c. vlt. etſi enim patris iniuria, malumque, ſit iniuria & malum filij, & contra. L. II. D. de nat. reſt. L. I. D. de lib. ca. et iniuria cognati, vel adfinis ad cognatos, & adfines omnes pertingat L.

V.D.

V. D. de iniu. tamẽn foedus ius publicum ſpectat, & illi ius publicum non ſpectant. Quo dendi forſitan iure poteſt ſubtilitas, & cautio, quam Italicam dicit, & notat ſanè Guicciardinus lib. I. & II. vt Virginij Vrſini filij militarent regi Galliarum, Virginius cum hoſte eſſet: et ducis Ferrarienſis filius duci Mediolanenſi accederet, pater ab hoſte maneret. Rurſus non violari foedera cæde piratarum, & Scotis reſpõderunt Angli, Bucc. lib. XIII. et verò eſt veriſimum. nam piratæ omnium hoſtes, violatores, cõtemptoreſque iuris gentium: vt in eo, et ipſius conuentionibus nullum habere præſidium poſsint. iſtos et a nobis (dixiſſent Angli) et a vobis communiter, et ab omnibus affligi oportuit: et ſi vos habebatis, vos iuris violatores extitiſtis. quæ Philippus rectè Athænienſibus: et tu videris in oratione de Haloneſo, ſiue illa Demoſſthenis, ſiue Hegeſippi eſt. neque enim ſupradictæ rationes ab oratore refutantur; ſed quod recepta a latronibus, quæ Athenienſium erant, ea Philippus non titu-

Piratarum cædes.

lo restitutionis iusto, sed donationis gratioso dare antiquis dominis cogitabat. quod sanè iniquum erat: quoniam latrones rem vt eripiant. rei tamen dominium non eripiunt, *Rei furtiæ æterna auctoritas.* Sed an foedus violatur, si exules alterius partis suscipiuntur? nam et hi alia ratione alieni suorum videntur, quòd ciuitatis expertes facti sunt. L. II. D. de pub. iu. et Perseus credidit non violari, qui id immò quiritantibus Quiritibus ait, Quid attinet, cuique exilium patere, si nusquam exuli futurus locus est? Liu. lib. XLII. et in fœderatas ciuitates proficiscí solitos exules Romanos notat Sigonius lib. II. de ant. iu. Ita. sed quæ tamen ius nullum ciuitatis Romanæ obtinuissent, at liberæq; penitus essent. et hoc idem Bodinus ait, vel si fœderibus cautum sit, ne alterius ciues alter susciperet: quia exules ciues non sint. Quod si non exules, sed fugitiui forent, horum quidem receptione tum demum violari fœdus censuerim, cum repetiti non redduntur. reddendos enim vere idem scribit lib. III. de rep. c. VI. et iniu-

Si exules suscipiuntur, aut fugitiui,

ria

ria fit ei, cui ſuum non redditur: fugitiuuſque ſuus principi manet, a quo fugit. Caueri aliquando hoc ipſum, vt non reddantur, fœderibus diſertè ſolet. Stra. lib. XVI. quod indicium, reddi aliàs oportere. ſed priora firmiora. atque tempus eſt, vt hanc quoque commentationem finiamus. nam perſequi quid attinet ſingularia pluria? ſed non eſt tamen omittendum de pœna violatorum pacis. pœnæ enim ſunt, quæ omnia ſanciunt. Et hîc quidem, vt alibique, aut legis eſt pœna, aut conuentionis. pœna legis quæ ſit, ſi mox vincitur fœdifragus, ex ſupradictis apparet. fæueriſsima pro victoris arbitrio eſt. et ita in ciuilibus etiam cauſsis manu, vel capite punitur, qui pacem fregerit: eiuſq; diruitur domus. vt not. ad tit. de pa. te. & hoſtes itaque interficiuntur: & vrbes itaque diruuntur. et tanta eſt ſanè in hoc facinore iniuſtitia, vt iura ex eo pereant naturalia: itaque filius patrem, qui pacem violarit, alere non tenetur. quod Alciatus ex eodem titulo in lib. I. de ver. ſign. et hæreticum tamen tenetur alere, & pater

Pœna violantis pacem.

filium hæreticum. c. I. dist. XXX. et plures docuerunt, & sequitur Menochius. q. XC. de arb. quo nolunt esse crimen detestabilius. c. XVI. XXII. q. VII. nec verò est. sed non hoc ius nobis religionis cum hominibus. vt pluries monui. Si verò conuentum de pœna est, hæc debebitur. & licet dici soleat, excusare a poena caussam iustam: a conuentionali tamen non excusare, creditum est. Dec. cons. DCXV. Atque is appositéque docet ex noua caussa factam iniuriam ad pacis violatæ crimen contrahendum non esse. item credendum, interueniisse caussam nouam, vt poena vitetur. cons. DXXXI. Accuratè. doctè tamen, deque alijs Molinæus ibi, immo nec nouam caussam excusare scribit, si non pro certis iniurijs pax facta sit, at simpliciter promissum, iniurias abfuturas.

TRINITY COLLEGE